

www.e-rara.ch

Cursus philosophicus monasterii S. Galli

Sfondrati, Celestino

[St. Gallen], anno 1741

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 234

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-30930>

Sectio II.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SECTION II.

De Universali in specie,

Seu

Quinque Prædicabilibus.

Egit de quinque Prædicabilibus accuratè Porphyrius in Tractatu ad Chrysaorium Patricium Romanum, quem in Sicilia scripsit. Floruit Porphyrius sub finem Sæculi III. à Christo nato, natione Judæus, aut, ut alij malunt, Tyrius. Nomen illi Malchus, quod Longinus Magister in Porphyrij mutavit, quoddam crederet, Regi (hoc enim Malchus significat) purpuram deberi. Christianam vitam amplexus est, sed cum eam vitiis fœdaret, venere præsertim, & impetu in iras præcipiti, nec Episcoporum objurgationes ferret, quibus ad meliora revocabatur, Gentilium errores amplexus est, fide desertâ: hinc pertinax illi in Christianos odium, quos & 15. libris insectatus est, rabie, & calumniis potius, quàm argumentis ferox: combusti illi sunt, Theodosio jubente. Si huic homini impietatem, & calumniandi impetum demas, negari haud potest, inter sui temporis Philosophos Platonicos Principem fuisse;

fuisse; & ideò nec Ecclesia, nec SS. Doctores dedignati sunt, quæ benè, utiliterque scripsit, in suos usus transferre, exarmato videlicet hoste, & spoliis in victricem veritatē collatis. Philosophi qui vocantur, inquit S. Augustinus l. 2. de Doct. Christ. c. 40. si quæ for-
 re vera, & fidei nostræ accommodata dixerunt, maximè Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis, tanquam ab injustis possessoribus, in usum nostrum vindicanda. Observavit Porphyrius in hoc suo Tractatu, seu Isagoge methodum elegantem, naturæ videlicet, & doctrinæ; cujus vestigiis insistendum nobis est, postquam de Universalis secundum se necessaria præmisimus.

Quæstio I.

An Divisio Universalis in 5. Prædicabilia sit bona, adequata, & univoca?

S U M M A R I A.

1. Defenditur divisio Universalis in 5. Prædicabilia, ut bona, adequata, & univoca. 2. 3. 4. &c. Solvuntur objectiones.

RESOL. Divisio Universalis in 5. Prædicabilia, videlicet Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, est bona, adequata, & univoca.

Ra-

Ratio 1. *Partis* est; Quia hæc divisio tradita, & recepta est ab omnibus retrò Philosophis: at quæ hujusmodi sunt, aut temerariè mutantur, aut inutiliter; poterant Geographi aliter orbem terrarum, quàm in 4. partes, Africam, Asiam, Europam, & Americam dividere, sed hæc divisio, tanto jam tempore recepta, & in tot libros sparsa, mutari sine magna confusione non posset; semper ergò novitas periculosa; esto enim boni aliquid afferat, majus tamen ex confusione est malum.

Ratio 2. *Partis* est; Quia universale est unum aptum inesse multis; tot ergò universalia, quot modi essendi: hi verò sunt quinque; ergò & quinque universalia. *min. prob. Vel enim est tota essentia, & hoc est species: vel pars essentiae materialis, & hoc est genus: vel pars essentiae formalis, & hoc est differentia: vel necessariò ad essentiam consequitur, & hoc est proprium: vel merè contingenter, & hoc est accidens; ergò &c. Deinde hic numerus optimè rebus, ut à parte rei sunt, respondet; quidquid enim est, aut est forma, aut materia, aut totum, aut proprietas ab intrinseco, & necessariò, aut accidens ab extrinseco, & contingenter; ergò &c.*

Ratio 3. *Partis* est; Quia omnia quinque *pradicabilia* & nomen, & rem *universa-*

lis ut ſic participant; de nomine conſtat, de re probatur: quia eandem habent definitionem, ſcilicet, unum aptum inefſe, & prædicari de multis, abſtrahendo, utrum eſſentialiter, vel accidentaliter; hæc enim differentia perfectionis non ab univerſali ut ſic, ſed à tali, hoc eſt, ex ſpecifica differentia provenit: ſicut quod homo ſit animal perfectius bruto, non ex ratione animalis, ſed rationalis oritur; ergo &c.

- 2 *Objic. I. Cont. 1. Part. Reſol. In bona diſiſione diſiſum plus continere debet, quàm ſingula membra diſiſientia: ſed in diſiſione univerſalis in quinque prædictas ſpecies, diſiſum non plus continet, quàm ſingula membra diſiſientia; ergo diſiſio univerſalis in quinque prædictas ſpecies non eſt bona. M. eſt certa. min. prob. Univerſale, quod eſt dictæ diſiſionis diſiſum, eſt genus: ſed unum ex membris diſiſientibus, prima videlicet dictæ diſiſionis ſpecies, æquè eſt genus; ergo &c.*

Reſp. Conc. M. Neg. min. ad prob. Neg. Ant. Univerſale enim ut ſic, licet ſit genus, dividi tamen in genus poteſt, quia univerſalitas gradus habet, poteſtque aliquid eſſe alio univerſalius; dividitur ergo ut genus generaliffimum in genus minùs generale; & cum ſit intentio tranſcendens, non eſt mirum, ſi imbibatur in membris diſiſientibus,

Seç. II. De Univers. in spec. seu 5. Pradic. 299
bus, suisque differentiis, non quidem secundum totam latitudinem, & potentiam suæ universalitatis, sed secundum partem; *differentia* enim v.g. est *universale*, sed limitatè, non cum illa plenitudine, & indifferencia, quas habet *universale* ut sic.

- 3 Objic. 2. *Cont. 2. Part. Resol.* Tot sunt *pradicabilia*, quot sunt modi *pradicandi* diversi: sed modi *pradicandi* diversi sunt decem; ergo & decem sunt *pradicabilia*. *min. prob.* Modi *pradicandi* sequuntur modos *essendi*: sed hi sunt decem, ut ex *pradicamentorum* serie constat; ergo & illi.

Resp. Dist. M. Tot sunt *pradicabilia*, quot sunt modi *pradicandi*, *materialiter* tantum diversi, *Neg. M.* quot sunt modi *pradicandi*, *formaliter* diversi, *Conc. M. Dist.* etiam *min.* sed modi *pradicandi*, *materialiter* tantum diversi, sunt decem, *Conc. min.* modi *pradicandi*, *formaliter* diversi, sunt decem, *Neg. min. & Conseq.* Idem dicas ad *prob. min.* Licet enim sint decem *pradicamenta*, seu decem modi *essendi*, quia sunt decem res diversæ, quæ primam substantiam afficiunt, non tamen decem sunt *pradicabilia*, seu modi *pradicandi* *formaliter* diversi; quia diversus ille modus existendi in subjecto in novem ultimis *pradicamentis* est merè *materialis* respectu *pradicabilium*; nec enim in his spectatur, quomodo insint *physicè* sub-

jectis,

jectis, sed quomodo prædicentur *metaphysicè*, seu *logicè* de inferioribus, de quibus cum prædicentur merè *in quale*, omnia pertinent ad duo ultima prædicabilia; sub hac enim ratione omnia æqualiter conveniunt.

- 4 Objic. 3. Etiam analogum, v.g. *sanum*, est *universale*, quod de multis prædicatur, puta de corpore, medicina, colore &c. & tamen nec est *genus*, nec *species* &c. ergò divisio *universalis* in 5. prædicabilia non est *adæquata*.

Resp. Neg. Ant. Analoga enim, cum deficiant à ratione unitatis, *proprie universale* non sunt, sed tantum *reductivè*.

- 5 Objic. 4. Individuum vagum, v.g. *aliquis homo*, est *universale*, cum de multis prædicetur, nec tamen *genus*, aut *species* &c. ergò plura sunt *universalia*, seu *prædicabilia*, quam quinque.

Resp. Neg. Ant. Individuum vagum enim *simpliciter universale* non est; cum præter naturam communem dicat aliquam, & incertam individuationem, & prædicetur tum essentialiter, tum accidentaliter; prædicatur enim, ut nobis innotescit: ratio autem individualis non innotescit, nisi per qualitates, & accidentia merè extrinseca.

Vide S. Thom. 1. p. q. 30. a. 4.

- 6 Objic. 5. Cont. 3. Part. Resol. Ut divisio

uni-

universalis in quinque prædicabilia sit univoca, debent singula illius membra dividentia æqualiter participare divisum: sed æqualiter non participant; genus enim, & species prædicantur in quid, & essentialiter, differentia in quale quid, proprium in quale accidentaliter, sed necessario, accidens in quale contingenter; ergo divisio universalis in quinque prædicabilia non est univoca.

Resp. Dist. M. Ut divisio &c. debent singula illius membra dividentia æqualiter participare divisum, quoad modum essendi in multis &c. Neg. M. debent æqualiter participare divisum, quoad substantiam essendi in multis &c. Conc. M. & Dist. min. sed non æqualiter participant, quoad modum essendi in multis &c. Conc. min. non æqualiter participant, quoad substantiam essendi in multis &c. Neg. min. & Conseq. Quia omnibus quinque prædicabilibus æqualiter convenit, esse universale, hoc est, esse unum in multis, & prædicari de multis, quod est de essentia universalis ut sic; licet ergo accidens (idem de aliis prædicabilibus proportionaliter dicas) non identificetur subiecto, & contingenter illud afficiat, verè tamen multis contingenter inest, & prædicari de multis potest.



Quæ-

Quæstio II.

Quo ordine, vel respectu 5. Universalis Species suum Prædicabile constituent?

S U M M A R I A.

1. Genus constituit primum Prædicabile, ut totum potentiale. 2. Species constituit alterum Prædicabile non quâ subijcibilis, sed quâ prædicabilis est. 3. Differentia universalis est per respectum, & ordinem ad inferiora speciei: 4. Proprium verò per ordinem ad individua: 5. Accidens deniq; respectu subjectorum. 6. 7. & seqq. Solvuntur objectiones.

REsol. I. Genus non constituit primum Prædicabile, ut totum actuale, nec ut pars actualis, sed ut totum potentiale est.

Ratio 1. Partis est; Quia, ut totum actuale, non respicit inferiora, de quibus prædicari possit, sed sola prædicata essentialia importat, eaque, velut partes suas constitutivas, actu includit.

Ratio 2. Partis est; Quia pars, ut pars, non potest prædicari de toto, ut constat; ergò nec genus, ut pars actualis, prædicari potest de specie, tanquam de toto.

Ratio 3. Partis est; Quia genus, ut totum potentiale, est unum aptum prædicari de mul.

Sect. II. De Univers. in spec. seu 5. Prædic. 303
multis; includit enim species suas, *animal*
v.g. *hominem*, & *brutum*, non quidem *acta*
(alioqui *genus* esset aut æquivocum, aut
analogum; duo item opposita, & contra-
dictoria in eodem subjecto existerent) sed
potentiâ, in quantum ab illis abstrahit, &
ad quodlibet illorum est contrahibile, &
de utrôque prædicabile; ergò &c.

2 Resol. 2. *Species non constituit secundum*
Prædicabile, quâ subijcibilis, sed quâ prædica-
bilis.

Ratio 1. *Partis* est; Tum quia *universale*
est unum aptum inesse, & prædicari de
multis: sed *species, quâ subijcibilis*, non est apta
in esse, aut prædicari de multis, sed illi po-
tius inest *genus*, de eoque prædicatur; nec
plura, ut plura respicit, sed unum; ergò &c.
Tum quia prædicari de multis, est respice-
re inferiora (in prædicatione enim *directa*
superius prædicatur de inferioribus) sed
species subijcibilis, quâ talis, non respicit infe-
riora; respicit enim *genus*, tanquam supe-
rius, cui subijcitur; ergò *species, quâ subijci-*
bilis, sive per respectum ad *genus*, non con-
stituitur *universalis*.

Ratio 2. *Partis* est; Quia *species, quâ præ-*
dicabilis, & ut dicit respectum, & ordinem
ad sua inferiora, est verè unum aptum præ-
dicari de multis, de omnibus scilicet indi-
viduis, *Petro, Paulo Jacobo &c.* ergò &c.

Resol.

- 3 Resol. 3. *Differentia tertium Prædicabile* non constituit per respectum ad genus, quod dividit, nec per respectum ad speciem, quam constituit, sed per respectum, & ordinem ad inferiora speciei.

Ratio 1. *Partis* est; Quia universale prædicari debet de multis: sed *differentia*, ut dividit genus, non prædicatur de multis, ut constat; ergo &c. Unde

Ratio 2. *Partis* est; Quia *differentia*, ut *universalis*, respicit plura, & inferiora: sed respectu speciei, quam constituit, nec respicit plura, nec inferiora; species enim habet rationem non plurium, sed unius, nec inferioris, sed æqualis respectu *differentiæ*; ergo, quæ talis, non est *universalis*.

Ratio 3. *Partis* est; Quia *differentia*, ut *tertium prædicabile*, prædicari debet de pluribus *in quale*, & *incompletè*: sed respectu inferiorum speciei tantum prædicatur de pluribus *in quale*, & *incompletè*; rationale enim est *tertium prædicabile* respectu non hujus, vel illius *rationalis* (quia cum dico: hoc rationale est rationale, non est prædicatio *in quale*, nec *incompleta*, sed *in quid*, & *completa*) sed respectu Petri, & Pauli, de quibus tantum *in quale*, & *incompletè* dicitur; ergo *differentia* respectu inferiorum speciei tantum constituit *tertium prædicabile*.

- 4 Resol. 4. *Proprium constituitur in ratione*

Secl. II. De Univers. in spec. seu 5. Prædic. 305
ne quarti Prædicabilis non per ordinem ad
speciem, sed individua.

Ratio utriusque Partis ex dictis est; quia
prædicabile, formaliter tale, & ut universale, re-
fertur ad plura, & non ad unum: sed pro-
prium per ordinem ad speciem refertur ad
unum, per ordinem vero, & respectum ad
individua refertur ad plura; ergo proprium
constituitur in ratione quarti prædicabilis
non per ordinem ad speciem, sed individua.

5 Resol. 5. *Accidens* denique quintum Præ-
dicabile constituit respectu non inferiorum,
sed subjectorum; albedo v.g. est quintum Præ-
dicabile respectu non hujus, vel illius albe-
dinis, sed respectu Petri, parietis, lactis, nivis,
cygni, & aliorum subjectorum.

Ratio 1. Partis est; Quia accidens, ut
quintum prædicabile, prædicari debet de plu-
ribus in quale contingenter: sed de suis infe-
rioribus non prædicatur in quale contingen-
ter; albedo enim v.g. de hac, vel illa albedi-
ne essentialiter prædicatur, tanquam species
de suis individuis; ergo &c.

Ratio 2. Partis est; Quia accidens præ-
dicari debet de pluribus in concreto, contin-
genter, ac denominativè: sed de subjectis ita
prædicatur, ut patet in hac prædicatione:
nix est alba; albedo enim in concreto, & con-
tingenter convenit, ac prædicatur de nive,
quam denominat; ergo &c.

6 *Objic. 1. Cont. 1. Resol.* Quod prædicatur incompletè, non prædicatur, ut totum: sed genus prædicatur incompletè; ergò non prædicatur, ut totum; ergò genus non constituit primum prædicabile, ut totum potentiale est.

Resp. Diff. M. Quod prædicatur incompletè, tam ex parte modi significandi, quàm ex parte rei significatæ, non prædicatur, ut totum, *Conc. M.* quod prædicatur incompletè, ex parte modi significandi tantum, non prædicatur, ut totum, *subdist.* non prædicatur, ut totum actuale, *Conc. M.* non prædicatur, ut totum potentiale, *Neg. M. & Dist. min.* sed genus prædicatur incompletè, ex parte modi significandi tantum, *Conc. min.* ex parte rei significatæ, *Neg. min. & Dist. Conseq.* ergò non prædicatur, ut totum actuale, *Conc. Conseq.* non prædicatur, ut totum potentiale, *Neg. Conseq.* Genus enim, etsi ex parte modi significandi prædicetur incompletè, adeoque ut pars; animal enim exprimit solummodò principium sentiendi: ex parte tamen rei significatæ prædicatur completè, & ita ut totum, non actuale, sed potentiale; quia animal significat totam rem, licet illam totaliter non exprimat; habens enim animalitatem est totus v. g. homo, & non solum pars hominis.

7 *Objic. 2. Cont. 2. Resol.* Quod immediate

Sect. II. De Univers. in spec. seu s. Prædic. 307
diatè subjicitur generi, est universale: sed species, quæ subjicibilis, immediatè subjicitur generi; ergò est universalis.

Resp. *Dist. M.* Quod immediatè subjicitur generi, est universale, reduplicativè, & formaliter, *Neg. M.* quod immediatè subjicitur generi, est universale, specificativè, & materialiter, *Conc. M.* *Conc.* etiam min. & *Dist.* *Conseq.* ergò est universalis, reduplicativè, & formaliter, *Neg. Conseq.* ergò est universalis, specificativè, & materialiter, *Conc. Consequent.* Sensus est, quòd res, seu natura illa, quæ subjicitur generi, sit quidem universalis, at non, ut subjicitur generi, sed, ut respectum dicit ad inferiora.

8 *Objic. 3. Cont. 3. Resol.* In hac propositione: homo est rationalis, fit prædicatio tertij prædicabilis; ergò tertium prædicabile immediatè respicit speciem, quam constituit, non verò individua speciei.

Confirmatur: Rationale non immediatè Petrum, sed hominem, & naturam qualificat; ergò natura, seu species est immediatum correlativum differentia, non individua speciei &c.

Resp. *Dist. Ant.* In hac propositione: homo est rationalis, fit prædicatio tertij prædicabilis, materialiter sumpti, *Conc. Ant.* fit prædicatio tertij prædicabilis, formaliter sumpti, *Neg. Ant.* & sub eadem distinct. *Conseq.*

Quia prædicatur quidem de homine illa res, quæ est *tertium prædicabile*, at non sub formalitate *tertij prædicabilis*, seu *tertij universalis*; aliud enim est *prædicari*, aliud *universale*: potest æquale prædicari de æquali, sed non potest *universale* dici tale, nisi respectu inferiorum; quia ergò in dicta propositione: *homo est rationalis*, non fit prædicatio, ut superioris de inferiori, sed ut æqualis de æquali, etiam non fit prædicatio *tertij prædicabilis*, formaliter sumpti, seu *tertij universalis*.

Ad Confirmat. Conc. *Ant. Neg. Conseq.* Aliud enim est *qualificare*, aliud esse *universale*; qualificare pertinet ad formam, etsi illa universalis non sit: ad universale verò necessarium est, ut sit quid superius; cum ergò *differentia* respectu *speciei*, quam constituit, superior non sit, etsi immediate qualificet *speciem*, non tamen immediate est *universale* respectu, & intuitu *speciei*.

- 9 Objic. 4. *Species* continet *individua*; ergò, quando *differentia specifica* prædicatur de *specie*, *virtualiter* de pluribus prædicatur, & consequenter per respectum, & ordinem ad *speciem* constituit *tertium prædicabile*.

Resp. *Neg. ult. Conseq.* Quia *virtualis continentia* non sufficit ad *universalem* prædicationem; tum quia illa *virtualis* conti-
nen-

nentia non est radix pluralitatis, sed unitatis, nec repræsentat plura, ut plura (quod tamen ad universale requiritur) sed plura, ut unum; tam quia etiam genus continet species, & tamen hoc non sufficit, ut hæc prædicatio: homo est animal, sit prædicatio specifica.

IO *Objic. 5. Cont. 4. Resol.* Prius proprium prædicatur de specie, quàm individuis; prius enim homo est risibilis, quàm Petrus; ergo proprium potius quantum prædicabile constituit per ordinem ad speciem, quàm ad individua speciei.

Resp. Dist. Ant. Prius proprium, materialiter acceptum, ut quid emanans à specie, prædicatur de specie, quàm individuis, *Cont. Ant.* Prius proprium, formaliter acceptum, & ut universale, prædicatur de specie, quàm individuis, *Neg. Ant. & Conseq.* In proprio enim duo consideranda sunt: primò, quòd emanet à specie, & de specie immediatè prædicetur: secundò, quòd sit universale. Quoad primum, immediatè proprium refertur ad speciem, quia cum hac, non cum individuis convertitur, & à complexione specifica, non individua oritur, & ideò prius proprium prædicatur de specie, quàm individuis: sicut econtrà in accidentibus communibus prius accidens prædicatur de individuo, quàm de specie: prius enim Socrates

est albus, quàm homo &c. *Quoad secundum* verò, siue in ratione *universalis*, priùs *proprium* individua respicit, quàm *speciem*; quia, ut *universale*, refertur ad plura, & non ad unum, ut paulò antè de *differentia* diximus. Hæc ergò propositio: *homo est risibilis*, *proprie*, & *formaliter* loquendo, non est *quarti prædicabilis*, seu *quarti universalis*; *proprium* enim, ut *quantum prædicabile*, seu *universale*, definitur: quod prædicatur de pluribus in quæstione quale est, *accidentaliter*, & *necessario*.

II *Objic. 6. Cont. 5. Resol.* Omnis prædicatio dicit identitatem, cùm fiat per copulam est: sed *accidens* nullam habet cum *subjecto* identitatem; ergò non potest prædicari de *subjectis*.

Resp. Conc. M. Dist. min. *Accidens* nullam habet cum *subjecto* identitatem, in *abstracto*, *Conc. min.* nullam habet cum *subjecto* identitatem, in *concreto*, *subdist.* nullam habet cum *subjecto* identitatem *essentialem*, *Conc. min.* nullam habet cum *subjecto* identitatem *denominativam*, *Neg. min.* & sub eadem *dist. Conseq.* *Accidens* enim in *concreto* tantùm de *subjecto* prædicatur, & ut sic sufficientem habet identitatem *denominativam* cum *subjecto*; album enim est habens albedinem; ergò, cùm dico: *Petrus est albus*, in *subjecto*, & *prædicato* est identitas suppositi.

fiti. Vide S. Thom. 1. p. q. 13. a. 12. Imò si subjecta actu non existant, sed solum existere possint, adhuc respectu possibilitatis retinet accidens suam universalem, & contingentem prædicabilitatem; & ideo accidens est quantum prædicabile etiam respectu possibilitatis subjectorum; sicut enim accidens in esse physico sine subjecto existere potest, qualia sunt accidentia Eucharistiæ; ita, & multò magis in esse metaphysico, & universali; universalitas enim dicit solam aptitudinem, non actum essendi in multis.

- 12 Dices: Hæc prædicatio: *albedo potest, vel est apta Petro inesse, est albedini essentialis, non contingens; non ergò aptitudo sufficit ad salvandam prædicabilitatem merè contingentem.*

Resp. Dist. Ant. Hæc prædicatio: *albedo potest &c.* est albedini essentialis, in recto, Conc. Ant. nihil enim est aliud ea aptitudo, quàm ipsum accidens: est albedini essentialis, in obliquo, & connotativè, Neg. Ant. respicit enim actum merè accidentalem, qualis est actualis conjunctio albedinis cum Petro, cùm econtrà aptitudo, quam dicit genus, aut differentia, essendi in pluribus respiciat actum non contingentem, sed essentialem, qualis est conjunctio Petri cum gradu animalis, & rationalis.

Quæstio III.

Quid in definitione Generis obtineat locum definiti?

S U M M A R I A.

1. Proponitur ratio dubitandi. 2. Quid sit definitum ut quo, & ut quod, tam *essentiale*, quam *accidentale*? 3. Ostenditur, in definitione generis principaliter definiri *universalitatem*, naturam verò tantum *connotativè*. 4. 5. & 6. Respondetur ad argumenta contraria. 7. Quodnam sit genus in definitione generis?

PRænotand. 1. Cùm genus (idem de alijs *prædicabilibus* dicas) sit quoddam concretum ex *natura*, tanquam *subjecto*, seu *substrato* *genereitati*, & ex ipsa *genereitate*, seu *universalitate*, tanquam *forma*, merito dubitari solet, cuiam principaliter, & directè competat ejus definitio? an *subjecto*? an *formæ*? an *toti composito*? sive, quod idem est, an *sola natura*, an *sola genereitas*, seu *universalitas*, quæ juxta dicta nihil aliud est, quàm ipsa *realis unitas similitudinis*, quâ homo v. g. in gradu animalitatis convenit cum equo, leone &c. an denique totum *compositum*, sive *conflatum* ex utrôque in definitione generis obtineat locum definiti *principalis*? Pro quo
Præ-

2. Prænotand. 2. *Definitum aliud esse ut quo, seu formale, & aliud ut quod, seu materiale.* Definitum *ut quo, seu formale* dicitur id, ratione cuius aliquid definitur, & cuius intuitu ei competit definitio; ut si definias *parietem album*, quod sit *disgregativus visus*, *albedo* est definitum *quo, & formale*; quia mediante albedine, & intuitu solius albedinis parieti competit, esse *disgregativum visus*. Definitum *ut quod, seu materiale* est illud, pro quo supponit definitio, & de quo illa verificatur; sic in allegato exemplo *paries albus* est definitum *quod, & materiale*; quia de eo dicitur, & verificatur, esse *disgregativum visus*. Est verò definitum *ut quod aliud essenziale, & aliud accidentale, seu denominativum.* Definitum *ut quod essenziale* dicitur id, cui *essentialiter* competit, & de quo *essentialiter* prædicari, & verificari potest definitio; v.g. si dicas: *homo est animal rationale*, *homo* est definitum *ut quod essenziale*, quia hæc definitio, *animal rationale*, de illo *essentialiter* prædicatur. Definitum *ut quod accidentale, seu denominativum* est, cui *accidentaliter* tantum convenit, & de quo *accidentaliter* solum prædicari, & verificari potest definitio: sic in allegato exemplo de *pariete albo*, *paries* est definitum *ut quod tantum accidentale, & denominativum*; sicut enim esse *album* parieti essen-

tialiter non convenit, sed accidentaliter tantum, & denominativè, ita & esse disgregativum visus. His prænotatis, & omissis aliorum sententiis, nostra sit

- 3 *Resol. Definitum in definitione generis est universalitas generica, sive ipsa genereitas, ut connotans naturam substratam genereitati, ita videlicet, ut universalitas ipsa definiatur principaliter, natura verò connotetur, tanquam fundamentum ipsius universalitatis.*

Ratio est 1. Quia concretum accidentale principaliter, & unicè significat formam accidentalem, subjectum verò connotativè, adeò, ut album v. g. idem significet, quod albedo, hoc est, ipsam formam, connotando tamen subjectum, in quo est: sed genus est concretum accidentale; ergò genus principaliter significat genereitatem, non naturam; ergò genereitas est, quæ definitur, non natura, nisi tantum indirectè, & connotando. min. patet; quia genus duo dicit, naturam videlicet animalis, & ejus universalitatem, h. e. relationem convenientiæ realis cum homine, & bruto; natura verò animalis, & relatio similitudinis pertinent ad diversa, & distincta prædicamenta; ergò ex illis resultat ens per accidens, quod videlicet & rebus, & nominibus diversorum prædicamentorum significatur. M. verò prob.

Tum

Tum autoritate S. Thomæ 5. *Metaph. lect. 9.* sic enim inter alia loquitur: *album*, ut in *pradicamentis* dicitur, *solum qualitatem significat*, hoc autem nomen *album* significat *subiectum ex consequenti*, in quantum significat *albedinem per modum accidentis*: unde oportet, quod ex *consequenti* includat in sui ratione *subiectum* &c. idem repetit 7. *Metaph. lect. 1.* & *Aristotelis c. de subst.* ubi expresse: *nihil aliud*, inquit, *significat album*, quam *qualitatem*. Tum quia *significare* nihil aliud est, quam *rem alteri explicare*, seu *exprimere*; illud ergo *principaliter significatur*, quod *principaliter*, & *maximè explicatur*, seu *exprimitur*: sed in *concretis accidentalibus* sola *qualitas* est, quæ *explicatur*, sola, quæ *exprimitur*, sola, quæ *sui imaginem*, & *conceptum in mente pingit*, *subiecto latente*; cum enim audis hanc *propositionem*: *album est coloratum*, *album currit* &c. scis, de qua *qualitate* *mentio* fiat, nescis, de quo *subiecto*; hoc ergo *non explicatur*; ergo *nec principaliter significatur*. Tum quia *tota definitio concreti accidentalis* *cadit supra formam accidentalem*, non verò *supra subiectum* eius; si enim *definias album*, dices: *album est corpus coloratum*, *disgregans visum*; ubi non ipsum *corpus* *definitur* (*definiretur enim idem per idem*) sed *sola qualitas albedinis*; si ergo *sola qualitas* *definitur*; ergo *sola significatur*.

tur; res enim definiuntur, prout nomini-
bus significantur.

Ratio eſt 2. In definitione generis prin-
cipale definitum nec eſt natura v. g. anima-
lis, ſubſtrata genereitati, nec conſlatum ex
utroque; ergo ſola *universalitas generica*, ut
connotans naturam. *Ant. prob.* Non primo,
ſola natura; quia naturæ animalis accedit,
eſſe genus; & ideò hæc propoſitio eſt ac-
cidentalis: *animal eſt genus*; ſive enim univer-
ſalitas ſit relatio rationis, ſive relatio realis
convenientiæ, ſive præciſio mentalis, ſem-
per accedit naturæ; non ergo hæc definitio
cadit ſupra naturam, tanquam partem defi-
niti principalem. Non etiam ſecundo, defini-
tum principale dici poteſt totum ex natura,
& genereitate conſlatum; tum quia hoc eſt
unum per accidens, nec poteſt unâ defini-
tione definiri, ſicut nec alia concreta ac-
cidentalibus: tum quia falſum eſt, totum hoc
aggregatum prædicari de multis ſpecie dif-
ferentibus; nec enim de homine, & bru-
to, aliſque ſpeciebus dici poteſt, quòd
ſint genus &c. Vide Cajet. in c. de genere.
& in c. 4. de Ent. & Eſſent.

4 Objic. 1. Illud principaliter, & directè de-
finitur, quòd principaliter, & directè ſignifi-
catur: ſed natura principaliter, & directè ſi-
gnificatur, non genereitas; ergo natura, non
genereitas principaliter, & directè definitur.

M. pa.

M. patet ex *dd. min. prob.* Quod significatur in recto, principaliter significatur, & directè, quod verò in obliquo, minùs principaliter significatur, & indirectè: sed natura significatur in recto, forma verò, seu genereitas in obliquo, ut patet; genus enim resolvitur, quòd sit ens, seu natura habens genereitatem, sive, natura affecta genereitate, vel, natura substrata genereitati, ubi natura, ut vides, ponitur, & significatur in recto, genereitas verò in obliquo; ergò &c.

Resp. Conc. *M. Neg. min. ad prob. Dist. M.* Quod significatur in recto, principaliter, & directè significatur, ex parte modi significandi, Conc. *M.* principaliter, & directè significatur, ex parte rei significatæ, Neg. *M. Conc. min. & Dist. Conseq.* ergò natura principaliter, & directè significatur, ex parte modi significandi, Conc. Conseq. ex parte rei significatæ, Neg. Conseq. Quoad rem significatam enim, quæ sola in definitione generis attendi debet, principale definitum est sola forma, seu genereitas, nam huic soli essentialiter convenit definitio; quia tamen significatur in concreto, & consequenter per modum adjacentis, modus ipse significandi subjectum quidem in recto importat, formam verò in obliquo; quod enim significatur, ut adjacens, non potest significari, ut per se stans; non ideo tamen hic modus significandi obstat, quòd

quò minùs res ſignificata, conſequenter definita, ſit ſola *genereitas*; adjacere enim, vel non adjacere, federe, vel ſtare, non mutat rem ipſam, ſed tantùm modum, & ſitum rei, & quod verè adjacet, poteſt ſignificari, ut ſtans, & econtrà, re ipſa immutatâ, ut patet in hiſce duobus terminis, *albedo, humanus*.

§ Objic. 2. Quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, obtinet locum *definiti* in definitione generis: ſed *genereitas* non prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, ſed *natura*; ergò *genereitas* non obtinet locum *definiti* in definitione generis; ſed *natura*.

Confirmatur: In hac definitione: *animal rationale, homo* eſt definitum, quia ipſe eſt *animal rationale*, non verò *humanitas*, quâ eſt *animal rationale*; ergò etiam in definitione generis *natura* v. g. *animalis* eſt definitum, quia ipſa eſt, quæ prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, de *homine*, de *bruto*, non verò *genereitas*, quâ illa prædicatur.

Reſp. *Diſt. M.* Quod prædicatur &c. obtinet locum *definiti*, ut quod, & *materialis*, *Conc. M.* obtinet locum *definiti*, ut quo, & *formalis*, *Neg. M. Trans. min. & Diſt. Conſeq.* ergò *genereitas* non obtinet locum *definiti*, ut quod, & *materialis*, *Conc. Conſeq.* non ob-

tinet

tinēt locum *definiti*, ut *quo*, & *formalis*, *Neg. Conseq.* Quia licet *genereitas* non prædicetur de speciebus, est tamen ratio *formalis*, ob quam *natura* animalis prædicari de illis possit; unde sicut *species* est ratio videndi, etsi ipsa non videatur: *color* ratio pingendi, etsi ipsa non pingatur: *centrum* ratio, & causa motûs, etsi ipsum non moveatur: ita & *genereitas* est ratio prædicandi, etsi ipsa non prædicetur, est ergo *definitum* ut *quo*, & *formale*, & consequenter *principale*; *natura* verò, etsi prædicetur de pluribus specie differentibus, & sit *definitum* ut *quod*, quia tamen *accidentaliter* solum, & *denominativè* prædicatur, est etiam *definitum* ut *quod* *accidentale* tantum, & *denominativum* (quatenus nimirum ipsa est, quæ accidens sustentat, ipsa, in qua *genereitas* ejusque definitio effectum suum formalem exercet) & consequenter *minus principale*. Unde

Ad Confirmat. *Conc. Ant. Neg. Conseq. & Parit.* Quia *homo* est concretum *substantialiale*, *genus* verò *accidentale*; in definitionibus verò concretorum *accidentalium* non reperitur propriè *definitum* quod *essentiale*, sicut in definitionibus concretorum *substantialium*, sed tantum *accidentale*, seu *denominativum*, & *definitum* *quo*, seu ratio *formalis* denominans, quæ est sola *forma*, v. g. *genereitas* respectu generis.

Ob-

6 *Objic. 3. Ex dictis illud principaliter* definitur, cui definitio *essentialiter* convenit: sed soli *natura* definitio generis *essentialiter* convenit; ergò sola *natura* *principaliter* definitur in definitione generis. *min. prob.* quia sensus dictæ definitionis iste est: *natura* V. g. *animalis* in quantum *genereitati* subjicitur, & *genereitate* afficitur, prædicatur de multis specie differentibus: sed *natura*, ut sic subjectæ, & affectæ *essentialiter* competit de multis prædicari, sicut parieti, in quantum subjicitur albedini, *essentialiter* competit esse album, seu disgregativum visûs; ergò &c.

Resp. 1. Hac objectione probari, non solam *principaliter naturam*, sed & *naturam*, & *genereitatem* definiri, & hanc *principaliter*, sicut cum dicis: *corpus album*, in quantum habet *albedinem*, *disgregat visum*, certum est, non solum *corpus* definiri, sed etiam *albedinem*, & hanc præcipuè; huic enim soli competit *disgregare*, non corpori.

Resp. 2. Neg. min. ad prob. Neg. M. Quia hujusmodi reduplicatio est inutilis, & vana; facit enim hunc sensum identicum: *corpus album est album: genus est genus*; quid enim est aliud *corpus*, ut recipiens *albedinem*, quàm *album*? *natura*, ut subjicitur *genereitati*, quàm *genus*? Sed demus has propositiones, nihil tamen evincunt; nam

Resp.

Sect. II. De Univers. in spec. seu 5. Prædic. 321

Resp. 3. Neg. iterum min. ad cuius prob. Transf. M. Neg. min. Naturæ videlicet, ut sub-
jectæ genereitati, essentialiter convenire de
multis prædicari; cum enim dicis: *natura*,
ut est *genus*, seu, ut est *genereitate* affecta,
est *prædicabilis de multis &c.* vel illa redupli-
catio cadit principaliter super solam formam
genereitatis? & nihil contra nos; hoc enim
ipsum intendimus: vel illa reduplicatio ca-
dit æquè principaliter super *naturam*, & for-
mam *genereitatis*? ergò non super solam
naturam, quod tamen probandum erat: vel
denique reduplicatio illa cadit super solam
naturam? & tunc negari non potest, hanc
definitionem merè *accidentalem* fore, per-
inde, ac si hominem definires: *animal do-*
ctorabile, aptum sedere in cathedra Petri: quan-
tumcunque enim reduplicates *naturam ani-*
malis, semper illi accidit, posse de multis
specie prædicari; subjectum quippe semper
est pars compositi *accidentalis*; ergò semper
extra essentiam formæ, tanquam suæ com-
partis, alioquin istæ propositiones: *homo*
est risibilis; *equus est hinnibilis*, essent *essentia-*
les; quia æquivalent hisce: *homo, ut homo,*
est risibilis; *equus, ut equus, est hinnibilis*; nihil
ergò reduplicatio subjecti facit ad propo-
sitionem *essentialem* reddendam.

7 Quæres: Quodnam sit *genus* in defini-
tione generis?

Aa

Resp.

*Resp. Naturam habere locum generis, ita;
ut sensus sit: genus est id, hoc est, natura de
multis speciebus prædicabilis. Et*

*Ratio est; Tum quia in concretis acciden-
talibus forma significatur adjectivè; ergò
subjectum necessariò significatur, ut per se
stans (quod enim adjacet, stanti adjacet)
sed tale est genus; ergò subjectum ponitur
loco generis, & in recto: tum quia concreta
habent modum significandi compositum;
ita, ut subjectum sit loco materiæ: sed genus,
ut jam dicemus, sumitur à materia; ergò
subjectum ponitur loco generis. Et ita perpe-
tuò docent S. Thom. & Aristot. Ille qui-
dem 7. Metaph. lect. 1. & lect. 4. & de sen-
su, & sensato lect. 6. & c. ult. de Ent. & Es-
sent. & eleganter 1. 2. q. 53. a. 2. ad 3. &
Opusc. 42. c. 19.*

Quæstio IV.

*Utrum Genus desumatur à ma-
teria, & Differentia
à forma?*

S U M M A R I A.

*1. Exponitur status Quæstionis. 2. In substan-
tiis materialibus genus radicaliter desumitur à ma-
teria physica, differentia à forma. 3. In substan-
tiis*

'Sect. II. De Univers. in spec. seu 5. Prædic. 323.
tiis simplicibus genus radicaliter desumitur ab intel-
lectualitate ut sic, limitata, & finita, differentia à
majori, vel minori uniformitate intelligendi. 4. In
accidentibus genus radicaliter desumitur à subjecto
in communi, differentia à subjecto cuius accidenti
proprio. 5. Solvitur objectio.

I PRænotand. Statum Quæstionis in eo
esse, quænam sit causa, præcipuè remo-
ta, & radicalis, in rebus & conveniendi
cum aliis, & differendi ab aliis, idque tum
in substantiis corporeis, & materialibus, qua-
les sunt homo, leo &c. tum in substantiis in-
corporeis, & spiritualibus, quales sunt angeli;
tum in accidentibus, v. g. colore; in his enim
omnibus reperitur genus, & differentia. Dixi:
præcipuè remota, & radicalis; certum enim
est, genus, & differentiam tam in substan-
tiis corporeis, quàm incorporeis, & accidentibus
proximè, & immediatè fundari in tota rei en-
titate, secundum diversas rationes consi-
derata, ab eaque desumi: genus quidem se-
cundum id, quod in illa est potentiale,
perfectibile, & determinabile; differentia
verò secundum id, quod in illa est actua-
le, perfectivum, & determinativum. Licet
verò commune cum Aristotele, & S. Tho-
ma sit Philosophorum axioma contra Vas-
quez 1. p. q. 19. c. 1. Genus (remotè scilicet,
& radicaliter) desumi à materia, & differen-
tiam à forma; quò tamen sensu id intelligi

324 *Tractat. I. De Prima Ment. Operat.*
debeat? hîc breviter elucidabimus. Sit ergo

- 2 *Resol. 1. In substantiis corporeis, seu compositis ex materia, & forma, genus remotè, & radicaliter desumitur à materia physica, & reali, & differentia à forma.*

Ratio est; Quia genus imitatur materiam, & differentia formam; ergo genus desumitur à materia, & differentia à forma. *Conseq. patet. Ant. prob.* Sicut enim primò, materia est subjectum formarum in genere physico; ita genus differentiarum in genere metaphysico. Secundò, sicut materia est potentia de se indifferens, ut limitetur, & determinetur per formam; ita genus est pars potentialis de se indifferens, ut limitetur, & determinetur per differentiam. Tertiò, sicut materia est ex se imperfectum quid, & informe, perficitur verò recipiendo, & patièdo formas, adinstar tabulæ rasæ, quæ perficitur recipiendo colores; ita genus est ens imperfectum, & perfectibile, perficiturque recipiendo differentias; ergo &c.

- 3 *Resol. 2. In substantiis, seu naturis simplicibus, & immaterialibus genus remotè, & radicaliter desumitur ab intellectualitate ut sic, limitata, & finita; differentia verò à majori, vel minori uniformitate intelligendi, ac simplicitate specierum.*

Ra-

Ratio 1. *Partis* est; Quia in substantiis simplicibus, quales *angeli* sunt, genus radicaliter desumi debet non à materia, quâ carent, sed ab eo, quod in illis est potentialius, & quod magis materiam imitatur: sed intellectualitas *ut sic*, limitata, & finita in illis est quid potentialius, magisque materiam imitatur, quia in illa omnes *angeli* conveniunt; ergò ab illa, *ut sic* spectata, genus desumi debet.

Ratio 2. *Partis* est; Quia in substantiis, seu naturis simplicibus, & angelicis *differentia radicaliter* desumenda est ab eo, quod in eis est actualius: sed major, vel minor accessus ad actum purum in eis est quid actualius; ergò ab illo majori, vel minori accessu ad actum purum *differentia* in eis desumenda est: *subsumo*; major ille, vel minor accessus ad actum purum consistit in majori, vel minori uniformitate intelligendi, & simplicitate specierum; ergò &c.

- 4 Resol. 3. In *accidentibus* genus desumitur radicaliter non à materia *intrinseca*, quam non habent, sed *extrinseca*, & subjecto in *communi*, cui inhærent; *differentia* verò à subjecto cuius accidenti *proprio*.

Ratio utriusque *Partis* est; Quia per subjectum in *communi* omnia accidentia conveniunt; omnia enim accidentia respiciunt aliquod subjectum: per respectum ve-

rò ad proprium subjectum omnia accidentia à se invicem discriminantur, ut patet; ergò &c.

5 Dices, Per respectum ad proprium subjectum accidentia conveniunt, non differunt; ergò in illis respectus ad proprium subjectum male ponitur loco differentia. Ant. prob. Quia multa, & diversa accidentia eidem subjecto insunt, calor v. g. levitas, siccitas &c. eidem subjecto, hoc est, igni insunt; ergò &c.

Resp. Neg. Ant. ad prob. Dist. Ant. multa, & diversa accidentia eidem subjecto, & eodem modo insunt, Neg. Ant. eidem subjecto, sed diverso modo insunt, Conc. Ant. & Neg. Conseq. Dicimus ergò, multa quidem accidentia eidem subjecto inesse, sed aliter, & aliter, igni v. g. aliter levitas inest, aliter calor &c. levitas enim est in igne, ut in elemento, & corpore sursum mobili: calor, ut in elemento maximè activo, & transformativo, quæ transformatio maximè fit congregando ea, quæ sunt ejusdem generis, & disgregando, ac dissolvendo, quæ diversi generis, ac passum sibi assimilando: siccitas denique, ut in corpore summè calido, & propriam figuram retinente, alienam verò respuente &c. Et ratio hujus est; quia ignis v. g. quamvis realiter unum, virtualiter tamen multiplicatur,
&

Señ. II. De Univerſ. in ſpec. ſeu 5. Prædic. 327

& ideò ſubjectum proprium levitatis non eſt ſubſtantia ignis ſecundùm omnia ſua prædicata, ſed ut eſt corpus ſuſum agitable; ſic enim reſpondet, & proportionatur levitati: idem de aliis accidentibus dicas. Quia tamen proprium ſubjectum cujuſlibet accidentis ferè ignoratur, ideò plerùmque differentia cujuſlibet accidentis petenda, & deſumenda erit à proprio aliquo effectu, quem producit, vel objecto, quod reſpicit, vel termino, ad quem ordinatur &c. ut fa-
retur S. Thomas c. ult. de Ent. & Eſſent.

Quæſtio V.

An Genus conſervari poſſit in unica ſpecie?

S U M M A R I A.

1. Quid ſit genus phyſicè, & metaphyſicè acceptum, & de quo ſit controverſia? 2. Genus, metaphyſicè acceptum, in unica ſpecie poſſibili ſalvari non poſſe, oſtenditur. 3. 4. 5. & 6. Solvuntur objectiones.

PRænotand. Naturam genericam dupliciter conſiderari poſſe: primò, phyſicè, ſecundùm realem entitatem, in quantum præciſe importat ſua prædicata eſſentialia, V. g. *animal*, in quantum componitur ex

vivente, & ſenſitivo. Secundò, metaphyſicè, in quantum eſt totum quoddam potentiale, & informe, materiæ valde ſimile, & per conſequens ultrà perfectibile, ac diviſibile per differentias formales. Jam certum eſt, quòd *genus*, phyſicè acceptum, in unica ſpecie, imò in unico individuo ſalvari poſſit, v. g. tota ratio *animalis* in ſolo homine, imò ſolo Petro; eo enim ſolo exiſtente, verè etiam exiſtit entitas, & perfectio realis, quam actu dicunt *homo*, *animal*, *vivens* &c. cum omnia à parte rei in Petro ſint unica, & eadem entitas realis. Quæſtio igitur de genere, metaphyſicè accepto, procedit, an nimirum gradus genericus ſecundùm potentialitatem, quam includit, ſufficienter intelligatur actuari, & ſalvari in unica ſpecie?

- 2 Refol. *Genus*, metaphyſicè acceptum, ut totum potentiale ad multas ſpecies referibile, conſervari non poteſt in unica ſpecie poſſibili, ita nimirum, ut ſi una tantùm ſpecies *animalis* foret, v. g. *homo*, nec alia eſſe poſſet, *animal* non eſſet *genus*.

Ratio eſt 1. Authoritas S. Thomæ, qui in 1. Poſter. lect. 12. id expreſſè docet; ſic enim loquitur: *non eſt poſſibile invenire aliquod genus, cujus una tantùm ſit ſpecies; genus enim dividitur in ſpecies per oppoſitas differentias: oportet autem, ſi unum contrariorum inveni-*

venitur in natura, & reliquum inveniri, ut patet per Philosophum in 2. de cælo, & mundo. Similia habet in 1. dist. 19. q. 4. a. 2. Quem vide.

Ratio est 2. Quia *genus, metaphysicè acceptum, est natura apta in species plures multiplicari: sed, sublati omnibus differentiis, etiam possibilibus, genus hanc aptitudinem non habet; ergò, sublati omnibus differentiis, etiam possibilibus, non amplius manet genus, metaphysicè acceptum. M. patet ex definitione. min. prob. Vel enim hanc aptitudinem habet à differentiis? vel à se? non à differentiis; quia istæ, ut supponis, impossibiles sunt: non à se; quia genus est essentialiter potentia: hæc verò ex se, nisi aliud accedat, non est radix multiplicabilitatis; multiplicari enim dicit distinctionem, distinctio verò dicit differentiam, & actum; ergò &c.*

Confirmatur 1. Tota ratio, & radix multitudinis, & multiplicabilitatis est ab actu, vel exercito, vel possibili (actualis enim divisio reddit v. g. quantitatem palmarem actu multam, possibilis verò multiplicabilem) sed sola *differentia*, non *genus* dividit, & distinguit, actualis actu, potentialis potentiâ; ergò sola *differentia*, non *genus* est ratio, & radix multitudinis, & multiplicabilitatis, consequenter *genus*, sublati om-

nibus differentiis, ex se non est radix multiplicabilitatis &c.

Confirmatur 2. Communicabilitas est perfectio boni, ut est in statu perfecto: sed genus ut sic, nisi accedat differentia, non est in statu perfecto; ergò genus ut sic non est radix communicabilitatis, sed differentia; ergò, sublatis omnibus differentiis specificis, redditur omnino incommunicabile, & ideò nec est genus. min. patet; cum genus sit pars potentialis tantum, & perfectibilis per differentias. M. etiam est certa; prius enim est, rem sibi, quam aliis perfici: & ideò nec animalia, nec arbores generant, nisi jam perfecta, nec essentialia proprietates habent, nisi jam completæ, & ut loquitur S. Bernardus, concha, nisi aquæ plena, non redundat; ergò &c. Sed

Objic. 1. Genus à se, non à differentiis habet, quòd sit actu genus; ergò, sublatis omnibus differentiis, erit adhuc perfectè genus, & consequenter conservari poterit in unica specie possibili. Ant. prob. Genus desumitur à materia, eique assimilatur, ut dictum: sed materia à se habet, non à forma, quòd sit actu materia; ergò etiam genus à se, non à differentiis habet, quòd sit actu genus; ergò, sublatis omnibus differentiis, adhuc est perfectè genus, habetque, quidquid necessarium est, ut sit radix communicabilitatis.

Resp.

Resp. Dist. Ant. Genus à se habet, quòd sit actu genus, physicè acceptum, Conc. Ant. quòd sit actu genus, metaphysicè acceptum, Neg. Ant. & sub eadem dist. Conseq. Genus enim, metaphysicè acceptum, est essentialiter correlativum differentiarum, quibus perficitur, actuatur, & completur. Idem dicas ad prob. Ant.

- 4 *Dices: Genus à se, non à differentiis habet, quòd sit actu genus metaphysicum; ergò nulla solutio. Ant. prob. Ideò genus dicitur, ex se non habere, quòd sit actu genus metaphysicum, quia est pars incompleta, & ens imperfectum: sed hæc ratio nulla est; tum quia etiam forma, & differentia ut sic sunt partes incompletæ, & entia imperfecta; tum quia genus ex se est perfectè genus; perfectio enim est proprietas entis: sed genus ex se habet, quòd sit ens; ergò etiam ex se habet, quòd sit perfectio.*

Resp. Neg. Ant. ad prob. Conc. M. Neg. min. ad cujus prob. 1. Dist. Ant. etiam forma, & differentia ut sic sunt partes incompletæ, & entia imperfecta, & simul perfectibilia, Neg. Ant. sunt partes incompletæ, & entia imperfecta, sed simul perfectiva, Conc. Ant. & Neg. Conseq. Quia genus, metaphysicè acceptum, est essentialiter prædicabile de multis per modum potentia, & partis perfectibilis, non perfectiva: differentia verò, etfi

etsi non sint entia perfecta, sunt tamen entia *perfectiva*, & consequenter radix perfectionis; quia in tantum aliquid est perfectum, & consequenter radix perfectionis, & communicabilitatis, in quantum est in actu; nec enim perfecta est imago, quæ potest esse, sed quæ est: nec perfecta navigatio, quâ potes in portum appellere, sed quâ appellis: *forma* autem, & *differentia* habent essentialem rationem actûs, genus verò, ut dixi, rationem potentia, & consequenter partis potentialis, & *perfectibilis*, non item illæ.

Ad prob. 2. Dist. Ant. Genus ex se est perfecte genus, in sensu improprio, & laxiori, *Conc. Ant. est* perfecte genus, in sensu proprio, & strictiori, *Neg. Ant. & Conseq.* Quia licet genus, sublati omnibus differentiis, ex se habeat, quod ei in ratione partis potentialis, & perfectibilis nihil desit; hoc tamen non sufficit, ut genus dici possit perfectum; si enim omne illud perfectum dicis, cui nihil in suo genere deest, nihil amplius erit imperfectum; quidquid enim est, in suo genere essentialiter perfectum est; nam si essentialiter perfectum non est, omnino non est; imperfectum ergo dicimus *proprie*, & *magis strictè*, quod se habet, ut *perfectibile*: & tale est genus, ac materia prima, quam dicimus omnium

en-

entium imperfectissimam, quamvis in genere materiæ nihil ei desit; & ideò dicunt, materiam non esse bonam, nisi in potentia, nec esse substantiam appetibilem, sed appetentem; forma enim, licet appetat esse in materia, non ideò appetit materiam, quia ab hac non perficitur; sicut nec pictura est in tabula rasa, tanquam in perficiente, sed perfectibili: nec statuarius appetit truncum, ut ab eo perficiatur, sed illum perficiat.

5 Objic. 2. *Species*, ut sit universale, non requirit plura individua, ne quidem *possibilia*, ut patet in Angelis, ex sententia D. Thomæ; ergò nec *genus* plures *species*, ne quidem *possibiles*.

Resp. *Transf. Ant. Neg. Conseq.* Multæ enim, & magnæ sunt disparitates inter *genus*, & *speciem*, & ita male à *specie* ad *genus* argumentum ducitur. Nam *primò*, in rerum natura nullum est *genus* sine multis *speciebus*, multæ verò *species* cum unico individuo, ut patet in sole, luna, phœnice, singulis planetarum &c. ergò signum ab ipsa natura habemus, posse *speciem* in uno individuo salvari, non verò *genus* in una *specie*. *Secundò*, natura per se intendit multitudinem *specierum*, non verò multitudinem *individuatorum*, nisi propter conservationem *speciei*. Vide S. Thom. 1. p. q. 47. a. 2. & q. 85. a. 3. ad 4. *Tertiò*, ultima
na

naturæ intentio non est ad *genera*, tanquam imperfecta, sed ad *species*. S. Thom. 1. p. q. 85. a. 3. Non sequitur ergò, ut, si *species* non requirat plura *individua*, nec *genus* requirat plures *species*. Et

Ratio *disparitatis* est; Quia *genus*, cum sit potentia, *ex se*, & *intrinsecè* non est radix communicabilitatis, sed est natura de multis prædicabilis, per modum perfectibilis, determinabilis, & divisibilis: sed, sublati *differentiis* specificis, non potest ultra perfici, determinari, ac dividi; ergò nec multiplicari. Secùs est in *specie*, & *differentia* specifica, quæ, cum sit actus, & forma metaphysica, est *ex se*, & *intrinsecè* radix communicabilitatis, & multiplicabilitatis, & si desint *individua*, cessat quidem multiplicabilitas *extrinseca*, & *exercita*, non tamen *intrinseca*, & *radicalis*.

6. Objic. 3. Demus, nullum, præter hominem, aliud animal esse, aut existere posse, adhuc posset illa ratio *animalis* considerari, ut *genus*, & *prædicabile*, ab aliis *prædicabilibus* distinctum; ergò *genus* formaliter, ut *tale*, non requirit pluralitatem *specierum*.
Ant. prob. Quia ratio *animalis* adhuc prædicaretur de homine: sed non prædicaretur ut *species*; quia non ut tota essentia: nec ut *differentia*, *proprium*, & *accidens*; ut per se constat; ergò ut *genus*, hoc est, ut pars
 de

de Petro in quid prædicabilis, & per differentiam perfectibilis, seu actuabilis.

Resp. Dist. Ant. adhuc posset illa ratio animalis considerari, ut genus, physice acceptum, Conc. Ant. quia haberet omnes perfectiones veri animalis: adhuc posset considerari, ut genus, metaphysice, sive logicè acceptum, Neg. Ant. Quia non erit pluribus speciebus communicabile; nec etiam erit perfectum, & completum genus in ratione totius potentialis, & ad omnes differentias specificas contrahibilis; quia ut sic pro forma, & termino adæquato respicit non unam tantum, sed omnes differentias, à quibus perficiatur: sicut ergò non est perfecta, & completa harmonia sub una tantum differentia soni; ita nec genus, ut totum potentiale, sub una differentia specifica.

Ad prob. Dist. M. ratio animalis adhuc prædicaretur de homine, prædicatione identica tantum, Conc. M. prædicatione formali, Neg. M. &c. Idem enim omnino esset animal, & homo, & ita prædicatio illa non esset formalis, sed identica; nec prædicaretur, ut unum ex s. prædicabilibus, sed tanquam prædicabile quoddam speciale, & innominatum.

Quæ-

Quæſtio VI.

*Quenam Specie differant? ſive,
quæ ſit regula diſcernendi, &
inveniendi diſtinctionem
ſpecificam?*

S U M M A R I A.

1. *Referuntur Sententiæ. 2. Eliminatur ea regula, quâ dicitur, illa ſpecie differre, quæ prudentiũ arbitrio notabiliter differunt. 3. Regula ad diſcernendas ſpecies ex differentiis inter ſpecies, & individua colligenda eſt. 4. Statuitur certa, & vera regula diſcernendi, & inveniendi diſtinctionem ſpecificam.*

1 **P**Rænotand. Tantam ferè in hac Quæſtione admodum celebri eſſe Sententiarum diverſitatem, quanta in hoc Univerſo rerum, ſpecie differentium, varietas elucet; quemadmodum tamen ex hac diſſimilitudine præcipua oritur Univerſi pulchritudo; ita ex opinionum varietate non mediocris veritati lux, ac ſplendor accedit. Nos hîc duas ſolùm præcipuas referemus Sententiâs: quarum *prima* docet: ea ſpecie differre, quæ, arbitrio prudentiũ, *notabiliter* differunt; & ideò *phœnicem* v.g. & *aquilam* eſſe ſpecie diſtinctas aves; quia

nota-

notabiliter differunt. Altera verò asserit, ea specie differre, quæ in prædicatis formalibus, & per se convenientibus discrepant; & ideo hominem v.g. & equum specie differre, quia in prædicatis formalibus, & per se convenientibus, rationali scilicet, & hinnibili discrepant.

2. Resol. 1. Non placet illa regula, quæ communiter afferri solet ad distinguendas species, ea videlicet specie differre, quæ arbitrio prudentum *notabiliter differunt.*

Ratio est 1. Quia hæc regula non differt ab ipsa Quæstione; ergò malè statuitur. *Ant. prob. Tum quia hoc ipsum quæritur, quid sit notabiliter differre? quod enim tibi notabilis, & magna differentia, alteri parva, & contemnenda videbitur. Tum quia, si notabilis, & specifica differentia arbitrio prudentum taxanda, & æstimanda est; ergò assignandum est aliquod fundamentum, & ratio, quæ prudentes moveat ad iudicium ferendum de specifica distinctione (nec enim prudentis est, sine ratione, & momentis rem judicare) de hoc ipso autem fundamento, & ratione judicandi hîc quærimus, quænam illa sit? ergò &c.*

Ratio est 2. In multis reperitur *notabilis differentia*, quibus tamen una species est: econtrà nulla *notabilis differentia* apparet, ubi tamen certum est, species distinguî; er-

gò malè assignatur *regula* distinguendarum *specierum*. *Ant. prob.* Ossa v.g. & sanguis magis *notabiliter* inter se differunt, quàm aqua, & terra, aquila, & columba; & tamen ossa, & sanguis *specie* non distinguuntur, cùm in homine eadem formâ, & secundùm eundem gradum informantur, in Thomistarum, aliorumque sententia, formas *partiales* abdicantium: colores apparentes in iride v.g. tersâve crystallo æquè *notabiliter* differunt, ac veri colores; quid enim minùs habent, quàm quòd faciliùs vane-
 fcant? & tamen *specie* non distinguuntur, cùm illorum forma sit unica lux in corpore diaphano variè fracta; ergò &c. Econtrà certum est, omnes numeros, v.g. septenarium, & octonarium *specie* distingui, & tamen non differunt *notabiliter*; quia unâ tantùm unitate: hæc verò differentia tam parva est, ut minor esse non possit: sic etiam figura ovalis *specie* à rotunda distinguitur, & tamen adeò *notabiliter* non differt, ut discerni à rotunda vix possit; ergò &c.

Ratio est 3. Differre *notabiliter* videtur idem esse, quod differre in prædicato *præcipuo*, vel nobilissimo, & differre *non notabiliter*, idem, quod non differre in prædicato *præcipuo*: sed multa differunt *specie*, quæ tamen non differunt in prædicato

præ-

præcipuo; ergò non differre in prædicato præcipuo, non est nota ejusdem speciei, & à contrario, differre in prædicato præcipuo, non est nota diversæ speciei. Ant. prob. Quia Angeli non differunt in prædicato præcipuo, quod est esse intellectuale: nec bruta in prædicato præcipuo, quod illis est esse sensitivum: nec sensationes in prædicato præcipuo, quod est esse cognoscitivum: & tamen hæc omnia specie distinguuntur; ergò &c.

3 *Resol. 2. Ut certa regula discernendis speciebus constituatur, aliquæ differentię inter species, & individua prius statuendæ sunt, quarum*

1. est; Quòd species pertineant ad perfectionem essentialem Universi, non verò individua. S. Thom. 2. cont. Gent. c. 84. ubi dicit: Universi perfectio attenditur quantum ad species, non quantum ad individua. Et

Ratio est; Tum quia, sicut tota perfectio artis, & ingenium artificis in forma, & figura est, non autem in materia, subjectoque artis (quamvis si pretium materiæ accedat, tantò pulchrius fuerit opus, non tamen tantò artificiosius; subinde enim ex vilitate, ac parvitate materiæ artificium crescit, quale fuit Ilias Homeri in nuce scripta, Callicratis ex ebore formicæ, & alia tam parva animalia, ut eorum partes cerni ab aliis vix possent, & Myrmecidis

quadriga, ac navis, quarum unam musca, aliam apicula pinnis, alisque integerent) ita tota perfectio Universi essentialis in speciebus, & essentiis est, non verò in specie-rum individuis, quæ speciei nihil addunt, præter materiam, cum respectu ad certam feri-ent accidentium; sic enim se habent indi-vidua ad species, sicut aurum, & argentum ad figuram circularem; circulus enim au-reus, & argenteus solâ materiâ differunt: & quamvis negari haud possit, individua, præsertim hominum, multum conferre ad pulchritudinem Universi (unde enim, ni-si ab individuis tot artes, scientiæ, virtutum exempla?) ea tamen principaliter reducitur ad differentiam specificam, instrumentaliter verò ad formas accidentales; sicut tota laus, pretiumque picturæ non in colores, aut telam, aut penicillos, sed in pictorem red-it. Tum quia, sublatâ specie, tolluntur eti-am omnes perfectiones tam accidentales, quàm individuales, quæ speciem comitantur: sublati verò individuis, sed specie supersti-te, durat potentia, & radix omnium ea-rum perfectionum, aut saltem æquivalen-tium, quæ post certas temporum vices, & quantum pulchræ varietati sufficit, fo-ras erumpunt; sicut ergò perfectio horti, aut pomarij non ex floribus, aut fructi-bus æstimatur, hi siquidem variant, mul-tis-

tisque casibus subjacent, nec semper sunt; sed ex arboribus, fructuum feracibus: ita perfectio Universi ex *speciebus*, quæ novis semper perfectionibus, & *individuis* abundat, ipsamque inæqualitatem *individuum* varietate, utilitate, aliisque maximis bonis compensat; ergò, durante *specie* v. g. *humanâ*, nunquam individua deerunt, nunquam ingenia, artes, virtutes, & alia, quæ huic Universo ornameto sunt; patet ergò, perfectionem essentialem hujus Universi ex *speciebus*, non *individuis* esse.

2. est; Quòd si ex *speciebus* naturalibus vel una abesset, quæ saltem in aliis non continetur, mundus jam non esset perfectus; sicut si perfectæ harmoniæ vel unicum sonum, pulchræ orationi vel unicam partem, corpori humano vel unicum membrum demas, tota istorum perfectio, & symmetria turbatur.

Ratio est; Tum quia, sicut si *speciei* partem aliquam adimas, v. g. cervo cornua, corvo plumas, aut cantum luscinia, mox evadit defectuosa: ita si Universo *species* aliqua decedat; quælibet enim *species* est pars, & membrum mundi. Tum quia, quæ ad invicem proportionem aliquam, & ordinem, ac habitudinem habent, si vel unum absit, mox proportio illa, & pulchritudo defectum patitur, ut patet in sonis,

figuris, numeris &c. ſed omnes *ſpecies*, & partes Univerſi mutuam proportionem habent; omnia enim fecit Deus *in menſura, & numero, & pondere*: & Eccleſ. 18. v. 5. *Non eſt minuere, neque adjicere, nec eſt invenire magnalia Dei*; & hinc eſt, ut ex ungue leonem, & ex veſtigiis animal dignoſcere liceat, & ex menſura digiti humani, propter exactam proportionem, totum corpus, ejusque quantitas deprehendi poſſit; ſicut ergo pars corporis ad totum corpus exactam habet proportionem, ita pars Univerſi, hoc eſt, *ſpecies* ad totum Univerſum; eſt enim ſapientis artificis, non ſolum partem parti aptare, ſed etiam partem toti: & ſicut, parte corporis ſublata, totum corpus ſœdatur, ita *ſpecie* Univerſo ademptâ. Hæc verò mutua *ſpecierum* proportio duobus potiſſimum conſtat: *primò*, quòd quælibet *ſpecies* Deum, ejusque bonitatem, & pulchritudinem ſpeciali aliquo modo manifeſtet: *deinde*, quòd homini, quæ hujus mundi præcipua, & dominans creatura eſt, ſpeciali aliquâ ratione deſerviat; cùm ergo ideò potiſſimum mundus conditus ſit, ut divinas perfectiones manifeſtet, idque in certo numero, & menſura, certum eſt, vel unâ *ſpecie* ſublata, mundum imperfectum fore; quia minùs, quàm antè, Deum manifeſtabit:

bit: sicut in temperatissima cythara, si vel una chorda rumpatur, sonus, & harmonia evadent imperfecta: & in tubis opticis, quibus cœlum, & stellas, ac longinqua spectamus, quæq; pluribus speculis instruntur, si vel unicum vitrum desit, jam magnus in instrumento defectus est, nec fini suo perfectè deservit.

3. est; Quòd natura primariò intendat generationem *speciei*, ejusque conservationem, non *individui*; ideò enim effectus assimilantur causæ, & filij parentibus *quoad speciem*, non *quoad individuationem*: ideò remedia providit, quibus *species* essent perpetuæ, non *individua*: ideò, ubi *species* sunt incorruptibiles, aut nulla sunt *individua*, ut in Angelis, ex sententia S. Thomæ, aut singula tantum, ut in sole, luna, planetis &c.

4. est; Quòd *individua* in omnibus prædicatis suis sint similia, præterquàm in ijs, quæ sunt necessaria, ut forma aliqua sit in certo subjecto, materia, loco, tempore, à certa causa, aliisque circumstantiis, quæ propterea vocantur *individuantes*: exempli causâ, circulus argenteus, & aureus in ratione circuli *numero* tantum distinguuntur, non *specie*; quia respectus, & adaptatio figuræ rotundæ ad aurum, vel argentum non est necessaria rotunditati,

ut sit, sed solum, ut in hoc subjecto sit: sic duo homines &c. numero tantum distinguuntur; quia, cum unus homo non possit semper, nec ubique esse, oportuit pro pluribus locis, & temporibus, & parentibus &c. plures homines esse: hæc autem adaptatio, & respectus ad locum, tempus, causam &c. fundat differentiam *numericam*, non *specificam*. *Species* econtra etiam in prædicatis *essentialibus* discrepant, ut patet in figura ovali, & rotunda, quæ, præciso omni respectu ad circumstantias, dissimiles sunt. Ex his jam sit

- 4 Resol. 3. Illa *specie* differunt, quæ in prædicatis *formalibus*, & *per se* convenientibus discrepant.

Ratio est; Quia *distinctio specifica* consistit in aliqua dissimilitudine, ut fatentur ipsi etiam AA. qui consistere eam volunt in dissimilitudine *notabili*, sive, in dissimilitudine quoad prædicatum *præcipuum*: sed non consistit in aliqua dissimilitudine *accidentali*; quæ enim in prædicatis convenientibus *per accidens* solum discriminantur, sunt ejusdem *speciei*, ut patet in Petro pygmæo, Paulo gigante, hoc Europæo, illo Æthiope &c. ergo consistit in dissimilitudine *essentiali*: *subsumo*: atqui, quæ in prædicatis *formalibus*, & *per se* convenientibus

ve-

Sect. II. De Univers. in spec. seu 5. Pradic. 345
venientibus discrepant, sunt essentialiter
dissimilia, ut patet; ergo etiam sunt specie
distincta. Cæterum, quia species rerum no-
bis haud aliter, quam per respectum ad
accidentia, notæ sunt; quid aliud enim in
aquila vides, quò à columba distingua-
tur, præter accidentia? ideo hæc distin-
ctionem specificam discernendi, aut inve-
niendi dari potest

Regula: Illa specie distinguuntur, quæ
respectum constantem, nulloque tempo-
re, aut loco variabilem dicunt ad certam
accidentium, & operationum seriem. Hæc
nota characteristica in omnibus speciebus,
& extra species non reperitur, ut confide-
ranti patebit.

Quæstio VII.

*An ea, quæ specie differunt, sint
semper inæqualis perfectionis?*

S U M M A R I A.

1. & 2. Quid nomine æqualitatis, & perfectio-
nis intelligatur? 3. Rem esse similem, & æqualem,
dissimilem, & inæqualem, an idem? 4. Distin-
ctio specifica non semper insert inæqualitatem per-
fectionis. 5. 6. &c. Respondetur ad argumenta
contraria.

1 **P**Rænotand. 1. *Æqualitatem*, & *inaequalitatem*, propriè loquendo, soli quidem *quantitati* convenire, communiter tamen etiam rebus aliorum prædicamentorum attribui: nam etsi strictè, & philosophicè *quantitas*, de qua in sequenti Sectione, *molem*, seu extensionem corporum significet; subinde tamen etiam pro *perfectiōe*, aut virtute sumitur, & hoc sensu magnam scientiam, fortitudinem, sanctitatem appellamus, non quòd scientia, fortitudo &c. sint magnæ *quantitate molis*, & extensionis, cum sint accidentia spiritualia, sed quia sunt magnæ *quantitate perfectiōis*.

2 Prænotand. 2. *Perfectiōem* rei alicujus duplici modo considerari posse. *Primò*, in quantum coincidit cum *bonitate*, quæ est proprietas entis transcendentalis. *Secundò*, pro conducibilitate *speciei* ad perfectiōem, & bonum totius Universi, vel pro imitatione divinæ alicujus perfectiōis. De perfectiōe, *primò modo* spectata, hîc non agimus; quia sicut in *ente*, ita etiam in proprietatibus entis omnes *species* saltem *analogicè* conveniunt, ut dicetur in *Metaphysica*. Quæstio igitur de perfectiōe, *secundò modo* accepta, procedit.

3 Prænotand. 3. Rem esse *similem*, & *æqualem*, *dissimilem*, & *inæqualem*, cum distinctissima sint, malè à quibusdam confundi;

æqua-

aqualia enim vocantur, quæ æquè multum de divinis perfectionibus repræsentant, vel æquè ad decorem, & ornatum totius Universi conducunt. *Similia* verò dicuntur, quæ eodem modo ad bonum totius Universi conducunt, vel iisdem operationibus divinas perfectiones repræsentant: *Inaqualia* sunt, quæ non æquè ad divinam perfectionem infinitè imitabilem accedunt &c. *Dissimilia* verò sunt, quæ diverso modo, vel diversis operationibus divinas perfectiones repræsentant &c. sicut enim diversis viis *aqualiter* ad urbem, aut portum accedi potest, & per infinitas lineas *aqualiter* ad idem centrum, & tamen sibi oppositas; ita Deus *aqualiter*, & tamen diversis, ac oppositis modis in creaturas derivatur. Possunt ergò, quod benè contra AA. notandum, duæ perfectiones creatæ *aqualiter* participare divinam naturam, & tamen *dissimiles* esse; quia alio, & alio modo participant, alio rosa, alio lilium, alio color flavus, alio viridis, *aqualiter* tamen: sicut enim ex eodem fonte *aqualiter* aquam tres v. g. haurire possunt, & tamen *dissimiliter*, alius videlicet manu, alius ore, alius conchâ: & duæ lineæ *æquales* ab eodem centro duci, sed tamen *dissimiliter*, alia orientem, alia occidentem versùs; ita duæ perfectiones

fectiones *aquales*, & tamen *dissimiles* ab eodem Creatore participari. Unde nostra fit

- 4 Resol. Probabilius est, ea, quæ *specie* distinguuntur, non semper *inaqualis* etiam esse perfectionis.

Ratio est; Quia nulla repugnantia apparet, ut duo sint *specie* distincta, & tamen *aqualis* perfectionis; ergò malè asseritur, & axiomatis instar proponitur omnium rerum, *specie* distinctarum, *inaqualitas*. *Anr. prob.* Si aliqua esset repugnantia, foret hæc, quòd nulla *species* omnem perfectionem alterius *speciei* distinctæ habeat: sed hæc repugnantia nulla est; ergò &c. *min. prob.* Quia, esto *species A* non habeat omnem perfectionem, quam habet *species B*, poterit tamen habere perfectionem æquivalentem, ita, ut neutra in operando vincat, aut vincatur; quid enim hîc implicantia? & patet *in moralibus*; sic enim pretium auri non est pretium argenti, & tamen potest argento aliqua perfectio ab arte accedere, per quam æquivalet auro: sic etiam voluntati duo *specie* distincta motiva, & rationes proponi possunt, quæ tamen sint *aqualis* perfectionis, quibus ad amandum, & non amandum invitetur, ad bellandum, & non bellandum, quò casu voluntas in æquilibrio stabit, nec magis in unam, quàm
aliam

aliam partem inclinare poterit &c. Si hoc in moralibus; ergò etiam in physicis una species, etsi non habeat omnem perfectionem alterius speciei distinctæ, habere tamen poterit æquivalentem: & sic aquila v. g. licet non habeat gradus entis, quos habet phoenix, potest tamen habere alium, aut alios gradus entis, qui conjuncti æquent perfectionem phoenixis: dari etiam aliud exemplum potest in caloribus solis, & ignis; calor enim solis non habet activitatem caloris ignei, possunt tamen uniri tot gradus caloris, & radiorum à sole, ut tandem æquent calorem igneum; in his ergò, & similibus casibus una species non habet quidem omnem perfectionem alterius speciei, sed tamen habet æquivalentem, & ideo neutra in operando vincit, aut vincitur.

Ratio est 2. Esse aliqua species distincta, est essentialiter esse dissimilia, ut supra dictum: sed non repugnat, quæ sunt essentialiter dissimilia, esse æqualis perfectionis; duo enim parietes, albus, & niger, sunt dissimiles, & tamen possunt æquales esse, hoc est, æq; magni, pulchri, solidi &c. ergò nec repugnat, quæ sunt specie distincta, esse æqualis perfectionis.

Ratio est 3. Dux species diversissimæ possunt æquare perfectionem tertiæ alicujus speciei; ergò & una species hoc poterit.

Con-

Conseq. patet; potest enim una *species* duabus æquivalere, ut patet in anima *rationali*, respectu *vegetativæ*, & *sensitivæ*: & cum duæ *species* æq; à tertia distinguantur, quàm prima à secunda, non est ratio, cur duæ *species* possint tertiam æquare, & non etiam una aliam. *Ant. verò prob.* Quia numerus ternarius, & quinaris sunt numeri ab octonario distinctissimi, & tamen *aquales* perfectione sunt; duæ enim illæ numeri *species* conjunctim tot habent unitates, quot habet octonarius; ergo &c.

§ *Objic. 1. Species* sunt sicut numeri: sed hi sunt perfectione *inaequales*; ergo & *species*.

Resp. 1. Retorqueri argumentum posse; ostendimus enim, posse numeros, *species* distinctos, *aquales* esse.

Resp. 2. Dist. M. Species sunt sicut numeri, *absolute*, & *simpliciter*, *Neg. M.* sunt sicut numeri, *secundum quid tantum*, *Conc. M. Transf. min. & Neg. Conseq.* *Species* enim numeris comparantur non in omnibus, sed in hoc tantum, quod sicut numeri consistunt in *indivisibili*, adeo, ut nihil eis addi, demique possit, ita & *species*; non verò in eo, quod sicut unitas, & distinctio *specifica* numeri desumitur ab æqualitate, vel inæqualitate unitatum, ita & distinctio *specifica* entium desumenda sit ab æqualitate, vel

Sect. II. De Univers. in spec. seu 5. Pradic. 351
vel inæqualitate perfectionum; distinctio
enim entium *specifica* non in hoc consistit,
quòd una *species* plures gradus entis habe-
at, quàm alia, sed quòd essentialiter diver-
sos, & *dissimiles*, ut ostendimus: diversitas
verò *specifica*, seu dissimilitudo essentialis
consistere potest cum æqualitate graduum;
sicut v. g. calor ut 5. & frigus ut 5. sunt
qualitates *specie* distinctæ, salvâ graduum
æqualitate.

6 Objic. 2. Quæ sunt *æqualia*, commensurari possunt; sed duæ *species* distinctæ commensurari non possunt; ergò non sunt *æquales*. *M. est certa. min. prob.* Quæ sunt diversæ rationis, commensurari non possunt; ideò enim ulna panni, & libra ferri, aut mensura vini commensurari, aut eidem mensuræ subesse non possunt, quia non sunt ejusdem rationis; nam in panno longitudo, in ferro pondus, in vino multitudo spectatur: sed duæ *species* distinctæ sunt diversæ rationis; ergò commensurari non possunt.

Resp. 1. Si hoc argumentum aliquid probet, evincere, *species* distinctas nec *æquales* dici, nec *inæquales* dici posse; nam etiam inæqualitas ex commensuratione oritur; & ideò ulna panni libræ ferri nec *æqualis*, nec *inæqualis* est, quia non commensurantur, nec sunt ejusdem rationis.

Resp.

Resp. 2. *Conc. M. Neg. min. ad prob. Neg. M.* Quia, licet ordinariè, quæ sunt diversæ rationis, commensurari non possint, ut optimè probant exempla, in probatione adducta; possunt tamen subinde, ut patet in amphora vini, & aquæ, quæ, licet diversæ rationis sint, commensurari tamen possunt.

Resp 3. *Conc. M. Neg. min. ad prob. Dist. M.* Quæ sunt diversæ rationis, commensurari non possunt, in quantitate *molis*, & ordinariè, *Conc. M.* commensurari non possunt, in quantitate *perfectionis*, *Neg. M. Conc. min. & Dist. Conseq.* ergò duæ species distinctæ commensurari non possunt, in quantitate *molis*, *Conc. Conseq.* commensurari non possunt, in quantitate *perfectionis*, *Neg. Conseq.* Quia *æqualis* potest esse perfectio, licet diversa, & *dissimilis* entitas sit; nam æqualitas non excludit dissimilitudinem; esse enim *æqualem* alteri perfectione, non est, habere unam, eandemque perfectionem, sed potius distinctas; nihil enim sibi *æquale* est &c. Sicut ergò aqua, & vinum sunt liquores distinctæ, & diversæ rationis, & tamen commensurari, & *æquales* esse possunt, quia in illis metimur quantitatem *molis*; ita, & multò magis duæ species distinctæ *æquales* esse possunt; quia in illis metimur quantitatem *perfectionis*.

Objic.

- 7 Objic. 3. Demus, *species leonis* v.g. & tauri esse *æquales*, v.g. perfectas ut 4. ergò differentię *specificæ* rugibilis, & mugibilis non sunt primò oppositæ (quod tamen falsissimum est) convenirent enim in gradu æqualitatis, & perfectionis; ergò *species* illæ *æquales* esse non possunt.

Resp. Neg. Sequel. Ant. Differentię enim *specificæ*, quâ ratione dividunt *genus*, semper primò oppositæ sunt, quia semper sibi essentialiter *dissimiles* sunt, quamvis quoad intensiorem graduum convenient; sicut enim albedo ut 8. & nigredo ut 8. sunt primò diversæ, etsi in ipsa intensiōe convenient, imò, quò utrinque magis intenduntur, & intensiōe magis æquantur, eò magis sibi opponuntur; magis enim albedini ut 8. opponitur nigredo ut 8. quàm ut 4. quia quò intensior, eò magis à suo contrario distat: ita differentię *specificæ*, rugibile v.g. & mugibile, quâ ratione dividunt animal, semper sibi manent primò oppositæ, quamvis in gradu æqualitatis, & perfectionis convenient; nec enim dividunt illud, ut habent rationem *æqualitatis*, & *perfectionis*, sed ut dicunt *talitatem* animalis, & ut sic habent rationem *dissimilitudinis essentialis*.

- 8 Objic. 4. Si duæ *species*, leo v.g. & taurus, forent *æqualis* perfectionis, sequeretur,

tur, eas *ſpecie* non diſtingui: conſequens eſt falſum; ergò & antecedens. *Seq. M. prob.* Illa *ſpecie* diſtinguuntur, quæ habent *diſſimilem naturam*: ſed duæ illæ *ſpecies*, in perfectione *æquales*, non haberent *diſſimilem naturam*; ergò &c. *min. prob.* Quæ *æqualiter* à non ente, & primo Ente diſtant, & *æqualiter* primo Enti aſſimilantur, non habent *diſſimilem naturam*: ſed duæ illæ *ſpecies*, in perfectione *æquales*, *æqualiter* à non ente, & primo Ente diſtant, & *æqualiter* primo Enti aſſimilantur; ergò non habent *diſſimilem naturam*; ergò non erunt diverſæ, & *diſſimiles ſpecies*; ergò nec diſtinctæ.

Confirmatur: Si duæ imagines Cæſaris *æqualiter* ad Cæſarem accedunt, eique *æqualiter* aſſimilantur, ſunt etiam ſibi *æqualiter ſimiles*; ergò etiam duæ naturæ, ſeu *ſpecies*, ſi *æqualiter* à primo Ente diſtant, aut potiùs *æqualiter* ad primum Ens accedunt, eique aſſimilantur, ſunt ſibi *æqualiter ſimiles*, & conſequenter non ſunt *ſpecies* diſtinctæ.

Reſp. *Neg. Sequel. M. ad prob. Neg. min. ad cujus prob. Diſt. 2. membr. M.* Quæ &c. *æqualiter*, & eòdem modo, vel in iſſdem operationibus primo Enti aſſimilantur, non habent *diſſimilem naturam*, *Conc. M.* Quæ &c. *æqualiter*, ſed diverſo modo, vel in diverſis
ope-

Seçt. II. De Univers. in spec. seu 5. Prædic. 355
operationibus primo Enti assimilantur, non
habent dissimilem naturam, *Neg. M. Dist.*
etiam 2. membr. min. sed duæ illæ species &c.
æqualiter, & eodem modo, vel in iisdem ope-
rationibus primo Enti assimilantur, *Neg.*
min. æqualiter, sed diverso modo, vel in di-
versis operationibus primo Enti assimi-
lantur, *Conc. min. & Neg. Conseq.* Patet ex dd.
Unde

Ad Confirmat. *Dist. Ant.* Si duæ &c.
sunt etiam sibi æqualiter similes, si secun-
dum eandem partem, & eodem modo ei as-
similantur, *Conc. Ant.* si secundum diversas
partes, & diverso modo ei assimilantur, *Neg.*
Ant. & Consequent. Possunt enim duæ ima-
gines æqualiter distare, aut æqualiter accede-
re ad suum exemplar, v.g. Cæsarem, &
tamen sibi dissimiles esse; quia non totum
exemplar referunt, sed aliam, & aliam ejus
partem, & diverso modo, figurâ, formâ:
sicut si una imago Cæsarem, ut militem
in equo, alia, ut imperatorem in throno
exhibeat, utraq; imago æqualiter ad Cæ-
sarem accedit, & tamen dissimilis est: ita
duæ species distinctæ possunt duas æquales
in Deo perfectiones participare, & tamen
virtualiter diversas, & ideò dissimiles sibi es-
se; nam, ut sæpe dixi, æqualitas non ex-
cludit dissimilitudinem.

9 Objic. 5. Experientia; videmus enim

omnia, quæ ſpecie diſtinguuntur, inæqualis etiam perfectionis eſſe; ergò &c.

Reſp. Mirum eſſe, ſi poſſis inæqualitatem in omnibus ſpeciebus oſtendere, quænam inter colores? quænam inter piſces, volucresque omnes? muſca volat, formica repit, ſed formica in hyemem providet, muſcâ negligente: pulchrior pavoni pluma, turpior luſcinia, ſed cantu præcellit, nec tamen, ut pavo, prævidet tempeſtates: quis elephantem leoni præferat, aut hunc elephanti? ergò in omnibus tum elementis, tum corporibus mixtis perfectiones miſcentur imperfectionibus, ac invicem compenſantur, ut temeritas ſit, dicere, hoc perfectius, illud imperfectius eſſe: prius ergò probanda, & oſtendenda eſt omnium ſpecierum inæqualitas, quàm aſſerenda, & axiomatis inſtar proponenda.

Quæſtio VIII.

An Differentia infima formaliter includat Genus, vel Differentiam genericam?

S U M M A R I A.

1. Quot modis unum in altero includi, ſeu contineri poſſit?
2. Quid ſit differentia materialiter,

Quid formaliter sumpta, ex S. Thoma? 3. Ostenditur, differentiam infimam nec genus, nec differentiam genericam formaliter includere. 4. 5. 6. Solvuntur objectiones. 7. An differentia specifica perfectior sit suo genere? 8. & 9. Respondetur ad objecta.

I PRænotand. 1. Duplici modo unum in altero includi, seu contineri posse, realiter scilicet, & formaliter. Realiter unum in altero includitur, in quantum à parte rei est una, & eadem res cum altero. Formaliter unum in altero includitur, in quantum non solum à parte rei est una, & eadem res cum altero, sed etiam per rationem, ut ne quidem concipi possit sine altero. De inclusione, seu continentia reali hîc non loquimur; certum enim est, differentiam infimam realiter includere genus, vel differentiam genericam, rationale v. g. animal, aut sensitivum; nam realiter, & à parte rei eadem res est animal, & rationale, in homine enim à parte rei omnia sunt idem. Status igitur præsentis controversiæ de inclusione, seu continentia formali intelligendus est.

2 PRænotand. 2. Ex S. Thoma: differentiam dupliciter sumi posse. Primò, materialiter, pro omni eo, quod tam implicite, quàm explicite dicit: & ita includit genus, ac differentias genericas; rationale enim contrahit, ac determinat genus per communicationem non solum unitivam, & infor-

mativam, sicut forma materiæ, sed etiam identificativam: & ideò, quidquid est in genere, est etiam in *differentia*, & econtrà. *Secundò, formaliter*, ut nimirum præcisè facit differre, & prout actuat genus, rationale v. g. in quantum præcisè significat principium ratiocinandi; & de hoc modo accepta *differentia* intelligenda est Quæstio: an nimirum rationale (idem de rugibili, mugibili, hinnibili, aliisque *differentiis infimis*, & *specificis* dicas) in suo conceptu quidditativo, & *essentiali* includat animal, aut sensitivum, adeò, ut ne concipi quidem sine illis possit? Affirmant Nominales, aliique pauci, contra quos cum communi nostra sit

2. *Resol. Differentia infima, seu specifica non includit formaliter genus, neque differentiam genericam, sive subalternam, v. g. rationale non includit formaliter animal, vel sensitivum.*

Ratio est 1. *Formaliter* unum non includi in alio, sive, *formaliter* unum non esse aliud, nihil aliud est, quàm aliquid perfectè concipi sine alio posse: sed *differentia infima*, v. g. rationale, perfectè concipi potest, non concepto genere, vel *differentiâ genericâ*, animali scilicet, vel sensitivo; ergò *differentia infima formaliter* non est genus, vel *differentia generica*, rationale
v. g.

v. g. non est animal, vel sensitivum, & consequenter *formaliter* non includit. *M. patet; min. prob.* Principium ratiocinandi perfectè concipi potest, non concepto principio sentiendi: sed rationale est principium ratiocinandi, animal verò principium sentiendi; ergò &c. *min. est certa; M. etiam patet;* respiciunt enim diversas operationes, continentque perfectiones, *virtualiter*, & cum fundamento in re distinctas; ergò, sicut tota operatio rationalis concipi potest, non conceptâ operatione sensitivâ; ita totum principium ratiocinandi concipi potest, non concepto principio sentiendi.

Ratio est 2. *Formaliter* distingui, est *formaliter* non includi: sed rationale, & sensitivum *formaliter* distinguuntur; ergò rationale *formaliter* non includit sensitivum. *M. patet;* distinctio enim est exclusio, sicut identitas est inclusio. *min. prob.* Illa *formaliter* distinguuntur, quæ *virtualiter*: illa verò *virtualiter* distinguuntur, quæ pluribus *realiter* distinctis æquivalent: sed rationale, & sensitivum duabus formis *realiter* distinctis æquivalent, animæ videlicet rationali, & merè sensitivæ; si enim in homine duæ formæ, & animæ *realiter* distinctæ darentur, una merè sensitiva, altera merè rationalis, hoc ipsum præstarent,

rent, nec plus, nec minus, quàm duæ illæ formalitates, *realiter* identificatæ.

Ratio est 3. Rationalitas aut includit *formaliter* eandem animalitatem, quæ ponitur loco *generis*, aut aliam? neutrum potest dici; ergò rationalitas non includit *formaliter* animalitatem, & consequenter *differentia infima* non includit *formaliter* genus, vel *differentiam genericam*. *min. prob.* Non eandem; quia animalitas, quæ ponitur loco *generis*, est contrahibilis, est potentialis, est indifferens ad *differentias* oppositas, quorum nullum cadit in *differentiam infimam*. Non aliam; quia aliàs in homine duæ animalitates, duo *genera* conciperentur, cùm tamen unum sufficiat; imò *differentia* jam conciperetur, ex genere, & *differentia* esse composita, & ita non ut *differentia*, sed ut *species*.

Ratio est 4. Si *differentia infima*, v. g. rationale, est, & includit *formaliter* animal, aut sensitivum, ergò *differentia*, ut *differentia*, est radix similitudinis, & convenientiæ, quod absurdissimum est; ergò *differentia infima* non includit *formaliter* genus, aut *differentiam genericam*. *Seq. Ant. prob.* Per *differentiam*, v. g. rationalitatem, illud intelligimus, quò brutum, & homo præcisè, & *formaliter* differunt: sed non differunt *formaliter* animalitate, sed convenient;

unt; nec enim animalitas est principium operationum, quæ soli homini, non bruto convenient; ergò, si *differentia infima*, v.g. rationale, est, & includit *formaliter* animal, aut sensitivum, *differentia*, ut *differentia*, est radix similitudinis, & convenientiæ: quod quàm absurdum sit, nemo non videt; sic enim differre, esset *formaliter* convenire, & similem esse, sicq; per rugibilitatem leo, & per mugibilitatem taurus æqualiter cum homine convenirent, quid absurdius?

- 4 Objic. 1. *Differentia infima*, v.g. rationalitas, concipi non potest, nisi ut substantia, vel non substantia, quia inter esse, & non esse non datur medium: sed nequit concipi, ut non substantia, quod certum est; ergò debet concipi, ut substantia; ergò cum aliqua ratione generica, & consequenter *differentia infima* includit *formaliter* genus &c.

Resp. Hoc argumento nihil evinci; quia nec pater sine filio, nec Creator sine creatura, nec vita sine aliqua duratione concipi possunt: & tamen hæc omnia realiter distinguuntur; si ergò ex eo capite non destruitur distinctio *realis*, quantò minus *rationis*? Sed in forma

Resp. 2. *Dist. M. Differentia infima*, v.g. rationalitas, concipi non potest *explicitè*,

nisi ut substantia, *Neg. M.* concipi non potest *implicitè*, nisi ut substantia, *Conc. M.* *Conc. etiam min. & Dist. Conseq.* ergò concipi debet *implicitè*, ut substantia, *Conc. Conseq.* concipi debet *explicitè*, ut substantia, *Neg. Conseq.* Falsum enim est, rationale sine gradu substantiæ concipi *explicitè* non posse; concipio enim principium radicale ratiocinandi, nihil cogitando *explicitè* de *perfectate*, ut experientiâ patet, & in hoc casu concipio rationalitatem, non quidem negando de illa *perfectatem*, sed abstrahendo. Unde

Prob. M. Dist. Inter esse, & non esse non datur medium à parte rei, *Conc.* non datur medium ex parte cognitionis, *Neg.* Ex parte enim cognitionis datur medium, quod est præscindere, licet à parte rei non detur; sic à parte rei pomum vel est dulce, vel non est dulce; ex parte tamen cognoscentis, aut etiam loquentis potest concipi, & pronuntiarî pomum, nihil affirmando, aut negando de illius dulcedine.

- 3 *Objic. 2.* Si *differentia infima* non includit formaliter genus, vel *differentiam genericam*, erit actus purus, hoc est, omnis potentia-
litas expers, quò nihil absurdius dici, aut cogitari potest; nam esse actum purum est solius Dei prærogativa; ergò *differentia infima* non includit formaliter genus, vel *differentiam genericam*. Resp.

Resp. *Neg. Sequel. Ant.* Licet enim *differentia* ut sic sit principium differendi tantum, & non conveniendi, & ideo conceptus quidem simplicissimus, nec *formaliter* in plures, & superiores resolubilis; non ideo tamen est actus purus, cum intret compositionem, sitque ens *partiale*, & *incompletum*.

- 6 *Objic. 3.* Hic syllogismus est bonus: *omnis homo formaliter est sensibilis: omnis homo formaliter est rationalis; ergo aliquod rationale formaliter est sensibile: sed in hoc syllogismo differentia infima includit formaliter differentiam genericam, rationale scilicet sensibile; ergo &c.*

Resp. 1. *Dist. M.* Hic syllogismus: *omnis homo &c. est materialiter bonus, Trans. M. est formaliter bonus, Neg. M. &c.* Quia, retenta eadem forma, potest dari consequens falsum, antecedente vero, ut patet in hoc syllogismo: *omnis homo est formaliter rationalis: omnis homo est formaliter animal; ergo aliquod animal formaliter est rationale; falsum enim est, aliquod animal, formaliter ut animal, rationale esse, alioquin omne animal esset tale.*

Resp. 2. *Neg. absolute M.* Quia in eo variatur *suppositio*, & *appellatio*; in Majori enim, & minori *formaliter* appellat super totum hominem, in conclusione super solum

lum rationale; nam si appellat super totum suppositum, & non super rationale solum, bona est consequentia, sed nihil contra nos.

7 Quæres: An *differentia specifica* sit perfectior suo genere?

Resp. Affirmativè: & Ratio est; Tum quia semper eidem addit aliquam novam perfectionem, sicut omnis unitas addit aliquam novam perfectionem numero, omnis figura artificialis aliquam perfectionem tabulæ rasæ, aut rudi marmori, & deniq; omnis forma materiæ: una autem perfectio creata semper minor est duabus perfectionibus; ergò &c. Tum quia ens determinatum, & actuale semper perfectius est ente indifferenti, & potentiali (illa enim indifferentia nascitur ex privatione, & conjuncta est cum motu, & appetitu ad formam, aut perfectionem debitam) sed *differentia specifica* est ens determinatum, & actuale, genus verò est ens indifferens, & potenziale; ergò &c. Tum quia *species* est perfectior genere, tanquam totum respectu suæ partis: sed *species formaliter* est talis per *differentiam specificam*; ergò & *differentia specifica* est perfectior genere, quia, ut loquuntur Dialectici, propter quod unamquodque tale, illud magis tale. Sed

Dices

- 8 Dices 1. Sapientia ut sic est nobilior, & perfectior sapientiâ creatâ; ergò differentia non est perfectior genere. *Ant. prob.* Quia sapientia ut sic est perfectio simpliciter, non verò sapientia creata; ergò &c.

Resp. 1. Neg. supposit. Ant. Sapientia enim ut sic non est genus, sed analogum ad creatam, & incretam: sæpè autem secunda analogata deficiunt à perfectione primi analogi.

Resp. 2. Transf. Ant. Dist. Conseq. ergò differentia positiva non est perfectior genere, Neg. Conseq. ergò differentia negativa non est perfectior genere, Transf. Conseq. Nos autem loquimur de differentiis positivis; esse verò creatum non dicit differentiam positivam, sed tantum negativam; dicit enim negationem aseitatis, æternitatis, & absolutæ necessitatis: ex quo capite volitio libera ut sic est perfectior in genere moris volitione liberâ defectuosâ, & pravâ (etsi physice loquendo, & in esse rei non sit perfectior) quia in sententia S. Thomæ, ratio peccati est privatio recti ordinis ad legem æternam.

- 9 Dices 2. Aliquæ species animalium carent aliquâ perfectione, quâ non caret animal ut sic; ergò aliquæ species animalium sunt imperfectiores ipso genere. *Ant. prob.* Quia pisces carent olfactu, talpæ visu &c. ergò &c.

Resp.

Resp. Neg. Ant. ad prob. Dist. Ant. pisces carent olfactu, talpæ visu radicaliter, Neg. Ant. carent formaliter, & proximè, Conc. Anteced. & Neg. Consequent. Quia animal ut sic non dicit principium proximum omnium sensationum, sed tantum radicale, quod etiam in piscibus, & talpa reperitur, quibus ex organi, aut materiæ defectu accidit, aliquo sensu carere: semper autem melior est radix, floribus, & fructu abundans, quàm sola, maximè, cùm defectum alicujus sensationis aliæ operationes, & proprietates compensent, quæ in piscibus, & talpa reperiuntur.

Quæstio IX.

Utrum in omnibus speciebus dentur differentia infima, & convertibiles?

S U M M A R I A.

1. Quot modis differentia infima constitui in se, & distingui ab omnibus aliis speciebus possit? 2. Refertur sententia quorundam Philosophorum, differentias infimas, & convertibiles negantium. 3. Eligitur, & defenditur sententia contraria, ut probabilior. 4. An unum ab altero solâ negatione possit differre? 5. Diluitur objectio. 6. Utrum differentia purè negativa dici possit propriè specifica?

Præ-

1 Prænotand. 1. Duobus modis *speciem infimam* constitui in se, & distingui ab omnibus aliis *speciebus* posse. *Primò*, per unicam tantum, & simplicem *differentiam*, quæ sit *convertibilis* cum illa *specie*, ita, ut ubi hæc, & illam esse oporteat, nec ullibi esse, nec reperiri possit, nisi in illa *specie*; unde & dicitur *atoma*, seu *infima*, & *ultima*, quòd per illam solam *species infima* ultimò distinguatur ab omnibus omnino aliis *speciebus*, à se distinctis. *Secundò*, per plures *differentias*, quarum quælibet seorsim sumpta possit quidem competere etiam aliis *speciebus*, omnes verò simul sumptæ nequeant ulli alteri *speciei* convenire. Quæritur proinde, quò modo singulæ *species* à se invicem distinguantur? an prior, an posteriori modo id fiat? Nam

2 Prænotand. 2. Fuisse Philosophos, qui *differentias infimas* negârunt; hominem v. g. non distingui ab aliis omnibus per hoc, quòd sit *rationalis*, hoc est, intelligens cum conversione ad phantasmata (id enim etiam Angelis convenire, saltem in sententia quorundam Patrum, qui Angelos corporeos esse voluerunt) sed per hoc, quòd sit animal *rationalis mortale*; ex quibus tamen binis differentiis neutra sit *ultima*, & *convertibilis*, neutra hominem ab aliis *speciebus* distinguat, nisi una alteri
con-

conjungatur: similiter de aliis *speciebus* philosophabantur, in quibus definiendis tot volebant *differentias* conjungi, quot sufficiunt uni *speciei* ab aliis omnibus distinguendæ. Contra quos sit

- 3 Resol. Probabilius est, in omnibus *speciebus* dari aliquam *ultimam*, & *convertibilem differentiam*, quâ una *species* ab alia distinguatur, sicut datur in homine; *ratio-
nalitas* enim, hoc est, principium intelligendi cum conversione ad phantasmata, est *differentia ultima* hominis, & cum hoc *convertibilis*. S. Thom. 2. *Poster. lect. 3.* & 7. *Metaph. lect. 12.*

Ratio est 1. Quia omnes *species* habent unam formam, seu animam *specie* distinctam; ergò & unam *differentiam*. *Conseq. prob.* Quia anima bruti v. g. aut se totâ, aut aliquo gradu distinguitur ab anima hominis; ergò aut se totâ, aut aliquo gradu est radix, ex qua homo à bruto differt; ergò etiam aut se totâ, aut aliquo gradu est *differentia*, hominem à bruto distinguens.

Ratio est 2. Per *differentiam ultimam*, & *convertibilem* intelligimus principium, & radicem propriæ, & specificæ alicujus operationis, ad nullam aliam *speciem* pertinentis: sed datur in qualibet *specie* tale principium, & radix; ergò etiam datur in
qua-

qualibet specie differentia aliqua ultima, & convertibilis cum specie. min. prob. Quia nulla omnino est species, quæ non habeat operationes aliquas proprias, quas alia species non habet, ut patet per singulas eunti; sic enim homo risibilitatem, leo rugibilitatem, equus hinnibilitatem &c. habet; ergo etiam dari debet harum operationum principium, seu radix, & gradus aliquis entis, qui in nullo alio est; diversa enim, & specialis proprietas, & operatio exigit, ac præsupponit essentiam, seu radicem diversam, & specialem.

Ratio est 3. Quia genera à generibus unicâ, & convertibili differentiâ distinguuntur, v.g. animal à planta; cur non etiam species à specie, v.g. animal ab animali, planta à planta?

Quæres: An unum ab altero solâ negatione possit differre?

Resp. Negari haud potest, aliqua solâ negatione ab aliis differre: sic creatura, quæ talis, differt à Deo per solam negationem; omnis enim perfectio, ut perfectio, in Deo est (perfectio enim, ut talis, Deo non repugnat, imò maxime convenit, quippe infinite perfecto: non verò esset infinite perfectus, si aliqua illi perfectio deesset, multoque minùs, si aliqua repugnaret) ergo, si in Deo non est, est imperfectio: sed

imperfectioneſt defectus, & *negatio* perfectionis; ergò, quidquid à Deo diſtinguitur, imperfectione, & *negatione* diſtinguitur: & ideò creaturæ à Deo differunt, non tam in eo, quod ſunt, quàm in eo, quod non ſunt, & *ut ſic* non tam ſunt entia, quàm non entia, & nihil. Sic etiam equus ab homine differt non tantùm hinnibilitate, ſed etiam *negatione* rationalitatis. Eòdem modo cognitio ſolius hominis differt à cognitione hominis, & equi ſolâ *negatione*, ubicatio angelica mille paſſuum ab ubicatione quingentorum paſſuum, numerus binarius à ternario, ſubſtantia angelica, minùs univerſaliter cognoscente, à magis univerſaliter cognoscente; hæc omnia, inquam, ſolâ *negatione* differunt.

§ Dices: Cognitionem A. repræſentantem ſolum hominem, & non equum, hoc ipſo dicere perfectionem aliquam *poſitivam*, quia non dependet ab equo, nec ab eo ſpecificatur, quæ eſt perfectio æſtimabilis, & Deo conveniens. Idem dicas de numero binario, qui hoc ipſo, quòd careat tertiâ unitate, eſt ſimplicior, & à paucioribus dependens; ergò hæc ſolâ *negatione* non differunt.

Reſp. *Neg. Ant. cujus prob. Diſt. quoad utrumq; membrum*: non dependet ab equo, & eſt ſimplicior, independentiâ, & ſimpli-

Sect. II. De Univers. in spec. seu 5. Pradic. 371

plicitate *positivâ*, *Neg.* independentiâ, & simplicitate merè *negativâ*, *Conc.* Independentia verò, & simplicitas merè *negativa* non est perfectio, aliàs nihil esset perfectius eò, quod nihil est; hoc enim à nemine dependet, nullis partibus constat, nemini quidquam debet &c. Nec in Deo hæc perfectio est, à nemine pendere, sed omnia habere, nec tamen ab alio: omnia esse, & sine partibus: semper, & ubique esse, extra tamen tempus, & locum.

- 6 Infertur: *Differentiam* purè *negativam*, propriè loquendo, non debere dici *specificam*; quia *species* importat pulchritudinem, & actualitatem, ac perfectionem: & ideo malum, ut malum, non habet *speciem*, quia consistit in defectu; & Aristoteles notat, *species* avium non benè constitui per pennatum, & impennatum.

Hæc de 5. *Pradicabilibus* in genere, & tribus prioribus in *specie* sufficiant; de proprio enim, & *accidente* præter ea, quæ tum suprà, tum in *Summulis* dicta sunt, nihil speciale occurrit: unde ab illis ad *Pradicamenta* progredimur.

